HISPALEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI

FERDINANDI CONTRERAS

Presbyteri Sæcularis:

RESPONSIO

AD NOVISSIMAS

ANIMADVERSIONES

R. P. FIDEI PROMOTORIS

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate in Deum, & Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, & ad effectum, de quo agitur.

BEATISSIME PATER

1 LÆtandum quidem est nobis, Caussam Venerabilis FERDINANDI DE CONTRERAS Presbyteri Hispalensis, actis jam duabus consultationibus Sapientissimorum Patrum, quos in hujusmodi Caussis cognoscendis, definiendisque adhibes in consilium Tibi, eo esse deductam, PIE *Pont. Max.*, ut eximia Servi Dei Sanctitas, præclarissimæque in omni virtutum genere laudes, quibus non Hispanos modo, sed vel ipsas gentes immanitate barbaras, Christianoque nomini inimicas pertraxit in admirationem, & amorem sui, dispulsa omni præteritarum oppositionum caligine, veluti in meridie elucescens, nullum fere novissimis strenui, rigidique Contradictoris Animadversionibus locum reliquisse videatur. Animad. num. 1.

2 Quamvis enim vir cum ingenio, & doctrina, tum dicendi copia, elegantia, atque artificio præstantissimus *nonnulla adhuc esse* dictitet, quæ *multam Caussæ ingerunt difficultatem*, attamen *esse illa etiam ejusmodi* ultro fatetur, ut *suam operam, diligentiamque non requirant*. Itaque unam, aut alteram ex præteritis Animadversionibus colligit, indicatque difficultatem, eamque adeo leviter, & summis, ut dicitur, labiis attingit, ut vel ipsa

ANIMAD. num. 1.

major ac solet brevitas ipsius orationis, facile ostendat, magis a se proponi, ne gravissimo muneri, quo tam sedulo, egregieque perfungitur, minima ex parte defuisse videri posset, quam quod revera talem existimet, quæ aut suum in opponendo, aut nostrum in refutando, aut Amplissimorum Suffragantium in excutiendis utriusque Partis momentis studium, laboremque amplius desideret.

ANIMAD. num. 2.

3 Et re sane vera, quid quæso affert Rm̃i Fidei Promotoris diligentia, ex quo firmissimarum, quas attulimus de heroicis hujus Servi Dei virtutibus, Probationum copia everti, ac labefactari queat? Ait ipse quidem, *eam hac in Caussa frustra requiri probationem ultimi vitæ decennii sancte, heroiceque transacti, quæ nostris in judiciis potissimum est afferenda*: ait *hoc unum sciri Venerabilem Ferdinandum eo decennio, quod ei postremum fuit, in Africam discessisse captivorum redimendorum causa, ibique obsidem quinquennium fuisse; quid autem interea fecerit, utrum inter captivitatis incommoda, interque circum impendentia pericula, sic virtutem excoluerit, sic omnem vitii labem fugerit, sic uno verbo semper se gesserit, quemadmodum Christianum heroem oportebat, id esse prorsus ignotum*: ait demum *supremum istud Servi Dei vitæ tempus*, quod jam non amplius ad totum *decennium*, sed ad dimidiam *decennii* partem, ad QUINQUENNIUM nempe Tetuani transactum coercet, *tam magnis obvolvi tenebris, ut adhuc nulla ratione dispelli potuerint*. Verumtamen si quæras, investiges, ac perscruteris unde evincant Animadversiones tantum, tamque gravem in Caussa, quam agimus, *Probationis* defectum, nihil, nihil prorsus deprehendes, Pater Beatissime.

4 Quapropter præclarissimo Censori *verbo* deneganti *ultimum decennium* vitæ Servi Dei idoneis communiri probationibus, possemus *verbo* resistere, e contra affirmando, nullum esse tempus, quod perfectissimarum (in suo genere *indirecto, ac subsidiario*, quo Caussa progreditur), *heroici habitus* Probationum copia, atque abundantia magis cumuletur, Amplissimorumque Patrum studium, ac diligentiam delegare ad accuratius perlustrandos *Testes*, & *Historicos* eorum oculis subjectos, cum in *Summario*, tum in duobus *Elenchis* præteritarum Caussæ propositionum.

5 At quoniam Rm̃o Animadversori suppositum Probationis defectum sic limitare placet ad tempus, quo Venerabilis Contrerius in Africa, & signanter Tetuani obses tamdiu detineri voluit, quamdiu Barbaris satisfaceret de pecunia persolvenda pro Christi Fidelibus ab eorum manibus ereptis, *animam suam libenter ponens pro amicis suis*, ut in hac ipsa *Tetuanæ* captivitatis *Epocha*, quam *magnis adhuc obvolvi tenebris* affirmat, positum, & constitutum esse existimet totius Caussæ nodum; ostendamus clarius, atque apertius, *Epocham*, de qua agitur, cum longe breviore temporis spatio definiri, ac novissimæ dictitant Animadversiones, tum reliquis vitæ temporibus, de quibus nullam nobis litem, aut quæstionem intendunt, mirifice respondere, proindeque uberrimis, ut cætera, quæ præcedunt, & subsequuntur, refertam & illustratam esse probationibus earum virtutum, quæ christianum decent heroem.

6 Utque a tempore incipiam Tetuanæ stationis, tametsi illud Historici, ac Testes nec *præcise*, nec *taxative* indicent, ac propterea in eo definiendo, prout in his casibus evenire solet, non usquequaque conveniant, *quia tempus difficulter memoria retinetur*, ut bene ex Text. utriusque Juris, & ex communi DD. Sententia observat Rota *coram Mantic. decis. 6. num. 5.*, nihilominus si eorumdem Historicorum, ac Testium dicta sedulo conferantur cum authographis monumentis in *Summario* exhibitis, facile intelligetur, prædictum temporis spatium, quo Dei Famulus obses Tetuani

mansit, non ad *quinquennium*, non *ad annos*, sed AD PAUCOS MENSES extendi oportere. Prostat namque eod. *Summario pag.* 15. §. 11. Instrumentum publicum redemptionis captivorum *diei* 27. *Novembris* 1544. quatuor scilicet annis ante obitum S. D. ex quo constat = *Che vedendo ancora lo stesso Padre Ferdinando de Contreras, che vi erano molti fanciulli, e fanciulle, donne, e giovanetti, e che per essere di sì poca età portandoli alli loro costumi potevano rinegare, stimò bene di fare il detto riscatto, e di restare in ostaggio &c. Il numero dei detti Schiavi, che come si è detto pigliò sopra di se, fu di trecento quaranta trà uomini, donne, fanciulli, e fanciulle, il riscatto dei quali ascese alla somma di* 24000. *ducati, de' quali diede subito la metà, che furono dodici mila, ch'esso* P. *Ferdinando de Contreras aveva, e restò debitore degli altri dodici mila ducati, QUALI SI OBBLIGO' PAGARE DENTRO IL TERMINE DI QUATTRO MESI* =. Attendatur igitur quæso ad tempus, quod Venerabilis CONTRERIUS sibi præfinivit ad solutionem, scilicet *quatuor mensium*, & videamus, num fidem intra constitutum tempus servaverit.

7 Omnes plane conveniunt, Ven. Dei Servum debitam pro ea redemptione pecuniam præfixo tempore accurate persolvisse. Audiatur Testis XVI. Tetuani Processus (1). *Rimase in ostaggio in questa Città per la somma di dodicimila pezze, prezzo convenuto per trecento quaranta Schiavi, residuo di maggior somma, che importò il riscatto &c. qual somma di dodici mila pezze pagò detto Padre Ferdinando di Contreras CON PUNTUALITA' NEL TERMINE STABILITO* =. Item Testis XIV. ejusdem Processus (2). *Rimase in ostaggio in questa predetta Città per la somma di dodici mila pezze, che gli mancarono per terminare il pagamento del riscatto di trecento quaranta Schiavi, che inviò a Spagna, QUALE SOMMA PAGO' CON GRANDE PUNTUALITA'*. Apprime cohæret Testis II., inquiens (3) *che IN UN BREVISSIMO TEMPO pagò egli detti dodicimila ducati ADEMPIENDO LA PAROLA, che data aveva* =. Nec aliter deponunt cæteri Testes (4).

8 Si igitur ex Testibus discimus tamdiu Ven. FERDINANDUM obsidem Tetuani mansisse, quamdiu reliquam pactæ pecuniæ summam Barbaris persolvit, hancque persolvisse intra *menses quatuor*; jam non conjectando, sed legittima plane consequutione assequimur, haud *quinquennalem*, sed *QUADRIMESTREM* fuisse ipsius captivitatem. Neque dicendum est, quod S. D. tradito pretio, vel in mancipatu permanserit, vel protraxerit moram in Africa. Nam quod persoluta pecunia, illico evaserit e ciivitate Tetuana, haudquaquam dubitare nos sinunt jurati ex formula Testes, inprimisque Testis XII. Ceutani Processus (5) = *Rimase egli in ostaggio nella Città di Tetuan sino a tanto che gli fu inviata l'intera somma, e pagò pontualmente, e prontamente il suo debito, & INDI TORNO' A SPAGNA &c.* ac Testis I. Processus Tetuani (6). *SUBITO, ch'ebbe pagata l'intiera somma PARTI' ANCH'ESSO* =

Quin

(1) *Respons. ad nov. Animad., sive nov. Elench. pag.* 167.
(2) *Dicta Respons. ad nov. Animad., sive Nov. Elench. pag.* 167.
(3) *Ibidem pag.* 165.
(4) *Testis VI. Proc. Tetuani Nov. Elench. pag.* 166. *Test. VII. ibid. pag.* 64., *ac Test. XVII. ibid. pag.* 167.
(5) *In novo Elencho pag.* 169.
(6) *Summ. pag.* 159. §. 22.

9 Quin aliquid contra faciant eorum Testium, ac Historicorum dicta, quibus idem Tetuanæ stationis tempus protrahi, extendique posse visum est ad spatium fere *quinquennale*. Etenim præter quam quod a nemine eorum de hoc *quinquennio* quidquam PRÆCISE, ac TAXATIVE definitur, nihilque facilius ab hominum memoria elabitur, quam mensura temporis; eatenus factum arbitror, ut plerique ex Testibus de hac spontanea Ven. Viri apud Barbaros captivitate sermonem instituentes, illius durationem ad QUINQUENNIUM circiter prorogaverint, quatenus intra quinquennium non semel, sed pluries, proindeque variis, distinctisque temporum intervallis Ven. Ferdinandus sese obsidem tradidit Barbaris. Nam alia vice obsidem remansisse video Julio-Cæsareæ sub data fide triginta aureorum millium pro pueris triginta redimendis. Ita enim habet Testis II. in ea civitate examini subjectus (1) = *Essendo venuto in essa detto Padre Contreras a fare il riscatto de' Cristiani, giunse ivi in occasione, che il Bassà teneva trenta piccioli ragazzi da mandare in regalo al gran Turco di Costantinopoli lo che avendo saputo detto P. Contreras si portò alla di lui casa, e gli chiese, che glieli dasse, volendoli egli riscattare, e non l'inviasse, ove aveva intenzione d'inviarli, e quantunque il sudetto Bassà lo ricusasse di fare, nulladimanco lo fece, attesa la gran stima, che aveva del medesimo, gli chiese però per ciascheduno di quelli mille pezze, sembrandogli, che per l'esorbitante prezzo non li avrebbe presi, ciò non ostante però li prese egli, e siccome non aveva denaro, RESTO' EGLI IN OSTAGGIO PER LA RIFERITA SOMMA, a cui ascendeva detto riscatto, & inviò a Spagna li detti ragazzi.*

10 Huic sententiæ mirifice cohæret, cum probatissimus Historicus *Gundisalvus Argotes de Molina*, dum memoriæ prodidit, CONTRERIUM nostrum non semel, sed iterum mancipatu suo cavisse barbaris = *Fue necessario nel Santo Padre Contreras TORNARSE A EMPENAR DE NUOVO* =; tum præsertim *Series Chronologica* vitæ Ven. Servi Dei (2), quam a Testibus, atque Historicis fideliter excerptam, exquisito labore, ac diligentia, Amplissimorum Suffragantium oculis subjecit vir longe clarissimus, atque doctissimus, qui nos in Caussæ defensione præcessit, adeo ut nulla subesse dubitatio queat, quin Testes, & Historici loquentes *de quinquennio* Africanæ captivitatis, varia, ac distincta harum captivitatum intervalla *copulative* sumpserint, junxerintque simul, perinde ac si integro quinquennali spatio obses assidue Tetuani permanserit noster, quod cæteroquin a rei, factique veritate distat quam longissime.

11 Certe ex prædicta *Serie Chronologica* satis evidenter excluditur illa tantopere ex adverso jactata *quinquennalis* in civitate Tetuani, eademque *assidua*, ac *perpetua* Servi Dei mora, atque detentio. Constat namque nimis manifeste *ex Actis*, quod semel, atque iterum in eadem civitate obses permansit vir Dei, primum ineunte *anno* 1543. quo ad exitum properante, collata sibi pecunia a *Johanne de Herrera*, e mancipatu evasit, rediitque in Hispaniam; deinde non multo post; quin tamen diuturnior fuerit hæc altera statio novæ in Tetuano captivitatis, quum anno 1545. Septam se contulerit, ubi de novis Operariis Tetuanum inducendis negocium egit (3): ano-

(1) *Nov. Elench. pag.* 164.
(2) *Resp. ad primas Animad. pag.* 48.
(3) *Summ. pag.* 31.

no vero 1546. Hispalim reversus, non ante mensem Julium subsequentis anni 1547. ab hac civitate discessit, quo quidem mense profectus in Civitatem Julio Cæsarensem vulgo *Algieri*, magnam ibi captivorum manum e servitute liberavit, cum iisque celeriter in patriam rediit, in qua moram duxit usque ad obitum. Hæc ex FACTO manent, patentque ex laudata *Serie Chronologica*. Ubi ergo sunt *anni quinque* postremi decennii in Africa traducti? Ubi illud *diuturnum tempus* vitæ S. D., quod tam *magnis obvolvitur tenebris*?

12 Huc quum res devenerit, ut jam nemini dubium esse possit, quin Testes, & Historici *quinquennalem* Servi Dei in Africa moram commemorantes, hoc temporis spatio complexi fuerint mancipationes omnes, quibus se obstrinxit CONTRERIUS, non unius tantum servitutis durationem, aut inde saltem eorum aliquos ambiguitas, & incertitudo ceperit in *præcise* definienda Epocha hujusce Tetuanæ commorationis, quumque aliunde certissimum, atque exploratissimum in *Facto* sit, quod Ven. Servus Dei quum sese penitus dedidisset maximo præclarissimoque operi eripiendi, vindicandique Christianos homines a jugo barbaræ servitutis, in Africam sæpius proficisci, ex iisque regionibus in patriam redire consueverit, quemadmodum præter cæteros tradit Nicolaus Godigno in Historia Abyssinorum (1) = *Ipso deinde redemptionis negotio sponte suscepto, SÆPIUS EUNDO, AC REDEUNDO in eodem charitatis officio plures alios insumpsit annos* =; nullum habet amplius locum in quo consistat vetus illa Animadversionum querela de *inopia*, imo *defectu* Probationum quoad Epocham Tetuanam. Agitur enim de distinctis, atque ita exiguis temporum intervallis, ut etiamsi ignoraretur quid per ea egerit S. D., nullum tamen exinde caperet detrimentum probatio *heroici habitus*, deducendi a facilitate, & frequentia heroicorum actuum quos constanti tenore Dei Famulus elicuit usque ad ultimum vitæ momentum in Hispalensi suæ patriæ domicilio.

13 Quum enim dum de Virtutibus quæritur Servorum Dei, haudquaquam de singulis *actibus*, sed de earum *habitu* omnis instituta sit quæstio (2); *habitus* autem probatio emergat ex multiplicitate, & abundantia præclarorum operum, non jam certis quibusdam locis, certisque ac determinatis exigui temporis *intervallis* alligatorum, sed ad totum vitæ cursum sancte, heroiceque traductæ pertinentium; nemo erit adeo ignarus legum, judiciorum, consuetudinis nostræ, qui peculiares requirat probationes de rebus, actionibusque singulis Servi Dei pro iisdem exiguis spatiis temporum, quibus ad magnum redemptionis opus perficiendum, sæpe ac multum in Africam profecta & peregrinata est virtus Apostolici Sacerdotis; ubi in dubium revocari nequeat, (prout revera, ne ab ipso quidem spectatissimo Contradictore in dubium revocatur), idoneas haberi probationes quoad prædictorum *intervallorum* extrema, satisque constet, Venerabilem virum ante & post illa quæ nunc *ignota* prorsus atque *obscura* supponimus, itinerum peregrinationumque *intervalla*, Virtutes in gradu heroico excoluisse, nec aliunde ulla eliciatur probatio, aut saltem *præsumptio* alicujus actus virtuti oppositi, in quem per eadem temporum spatia inciderit.

14 Profecto ni res ita omnino se haberet, nec talis esset Sacræ Rituum Congregationis in hisce de virtutibus heroicis absolvendis judiciis praxis, ac disciplina, nulla unquam fuisset, nec esse in posterum posset illorum expediendorum ratio in Caussis tot Venerabilium virorum, qui pro susceptæ institutio-

(1) *Summar. pag.31.*
(2) *Vid. Benedict. XIV. lid.3. cap.31. num.11.*

NIMAD. num. 2. tutione vitæ sæpe in itineribus fuerunt. Non modo enim oporteret Inquisitiones instituere omnibus iis in locis, in quibus ad breve tempus versati sunt, sed insuper necesse foret, ut eorum lateri, dum peregrinabantur assidue adfuissent Testes qui *dietim* adnotassent præclaros virtutum actus tunc temporis elicitos, subinde deponendos in Apostolicis Processibus, quod esset omnino impossibile. Jam vero indicet nobis, atque declaret spectatissimus Contradictor, num vestigium aliquod, aut levis etiam suspicio *ex Actis* emergat, quod Venerabilis Contrerius *dum obses Tetuani fuit* ab heroicæ virtutis semita vel tantisper declinarit; & victas dabimus manus. Verum tamen si ille nedum ullum ejusmodi declinationis indicium deprehendere, & afferre potest, sed præclara tantum testimonia, ac monumenta Sanctitatis, quæ tunc maxime in Venerabili FERDINANDO præluxit, irrita plane est atque inanis exceptio de ignoratione, & obscuritate Tetuanæ Epochæ, quum hac etiam admissa obscuritate ea omnis exceptio adniteretur *diuturniori*, quamreapse fuit, annorum spatio, eoque nullis distincto temporum intervallis.

15 Sed videat sagacissimus Animadversor, videant AA. PP. quo Caussæ bonitate, & *subsidiariarum*, quibus ad normam Benedictinæ Legis anni 1741. innititur, *Probationum* copia confisus progredior. Fingo constare ex Actis Venerabilem FERDINANDUM obsidem in Africa assidue mansisse per *integrum quinquennium*. Quid tum postea? Num *erit prorsus ignotum quid interea fecerit, utrum inter captivitatis incommoda, interque circum impendentia pericula, sic omnem vitii labem fugerit, sic semper se gesserit, quemadmodum Christianum heroem oportebat?* Haud certe. Tantus namque nobis præsto est, etiam quoad tempus illud Affricanæ captivitatis cumulus Probationis, *indirectæ* quidem, & *subsidiariæ*, at in suo genere *perfectissimæ*, de rebus a Dei Famulo inter Barbaros præclare, sancteque gestis conflatus cum nube Testium examinatorum non solum in illis Affricæ regionibus, sed etiam in Civitate Hispalensi, tum ex gravissimorum Historicorum auctoritate, ut Testium, ac monumentorum multitudine obrui quodammodo videamur, ut mox demonstrabo.

NIMAD. num. 3. 16 Nam nunc demonstrare aggredientem, interpellat rigidus Censor, inquiens *Processibus Informativis Julio-Cæsareæ, Ceutæ, & Teutani confectis uti non licere postquam Sac. hæc Congregatio v. Idus Julii 1764. inter probationes locum habere vetuit*. Ego vero nec utor, nec usus unquam fui *in linea probationis*, sed utor *in linea ADMINICULI*, multoque vehementiores adminicularis ponderis vires inesse contendo, juratis testimoniis *formiter, ac solemniter* exceptis coram Judicibus, *incompetentibus* quidem, uti facti erant Ordinarii prædictorum Locorum, statim ac Causæ cognitionem susceperat Apostolica Sedes, at Judicibus tamen; quam extrajudicialibus attestationibus, quam Historicis ipsis, nullo ad veritatem dicendam religionis sacramento obstrictis. Quod si Historicorum, ac monumentorum, omnis judicialis ordinis formæque expertium authoritas, grave illud *adminiculum* constituit, cujus præcipua habenda est ratio juxta æquitativum Decretum Benedicti PP. XIV. in Causis procedentibus per viam subsidiariæ probationis; cur non constituent Testes prædictarum ordinariarum Inquisitionum, quas Sacra Congregatio eatenus *nullas, irritasque* declaravit, quatenus Apostolica Sedes per *Signaturam Commissionis* jam manus Caussæ apposuerat suas, proindeque laborabant substantiali defectu jurisdictionis in Judice Ordinario, quin aliquid unquam decreverit contra *personas, & dicta* eorumdem Testium, aut illos ita expunctos, reprobatosque voluerit ab Actis Caussæ, ut conjungi nequeant cum cæteris in Hispalensibus sive Ordinariis, sive Apostolicis Inquisitionibus VALIDE exceptis.

17 Non ergo Africanis Testibus, licet juratis, omnis est illico abroganda fides, ex eo quia per *legittimum* Judicem interrogati minime fuerint. Jurisdictionis defectus in Judice effecit quidem *irrita* illorum examina, & a legittimo *Probationis* gradu dejecit, non tamen *a Testium numero* prorsus *expunxit*, non reddidit *Testium loco ac nomine* sic *indignos*, ut nihil *adminicularis* roboris, ac ponderis adjiciant Hispalensibus tabulis, quas *LEGITTIMAS esse non inficiatur* clarissimus Animadversor. (1) Si enim *quum a Sancta Sede concessum est, ut directis probationibus deficientibus, subsidiariis suppleatur, utque hujus generis probatio ex testibus de auditu, & de publica voce, & fama UNA CUM HISTORICIS confici possit*, illud omnino est volitum, ut Historici admittantur *in linea æqualis probationis*, cum Testibus de auditu, qui tamen *Historici*, nec sacramento devincti sunt, nec ulla judiciali forma examini subjecti; non poterit profecto non maxima haberi ratio Africanorum Testium, qui dicta sua juramento firmarunt, qui juridicum examen subiere, quique non proprio, sed Judicis *illegittime* interrogantis vitio, iisdem Testibus prorsus ignoto afficiuntur. Animad. Num. 4.

18 Frustra igitur urgent, clamitantque Animadversiones *Affricanos Testes, TESTES NON ESSE*, iisque *uti non licere*; Testes enim sunt; ac si iis uti non licet *in gradu probationis*, uti certe licet in *gradu validi adminiculi*, quod satis est nobis. Adminiculum enim non idem est, ac nihil; sed aliquid sane momenti habet, maxime ubi *grave* sit. Quum enim sapientissimus Legislator prædicto generali Decreto *diei 23. Aprilis* 1741. expresse id velit, atque constituat, ut *admitti possit & in Caussis simplicium Servorum Dei per viam non cultus procedentibus probatio subsidiaria conflata ex Testibus quidem tantum de auditu, quandoque a videntibus, quandoque non, sed VARIIS TAMEN ROBORATA ADMINICULIS ad faciendam viro prudenti, & de re gravi judicaturo authoritatem & fidem idoneis*; necessario consequitur, si spiritui, & litteræ legis adhærere velimus, quemadmodum profecto debemus, quod tam longe abest, ut sæpe laudati Testes *Affricanarum Inquisitionum expungendi sint a numero Testium*, & ab Actis Caussæ omnino delendi, ut e contra & a nobis produci, & ab AA. PP. audiri omnino debeant ad subsidiariam probationem *adminiculis* ab Apostolica Sede *volitis* roborandam. Nimis enim aperte constat a Benedicto PP. XIV. Generalis Decreti verbis mox recitatis, non modo pondus aliquod tribui *adminiculis*, sed ea prorsus exigi ad confirmanda Testium auritorum dicta in hoc subsidiariæ genere probationis (2).

19 Si Caussa hæc *legittimorum Testium* inopia laboraret, eamque arbitrati essemus promoveri non posse, nisi Testes Africani probationis vim acquirerent, nos facile potuissemus ab Apostolicæ Sedis auctoritate *sanationem* illorum Processuum, allatis exemplis impetrare. Ita enim factum fuisse nos monet idem Benedictus PP. XIV. (3) in Caussis S. Thuribii, aliorumque *etiam simplicium Servorum Dei per viam non cultus procedentium*. Inane vero id arbitrati sumus. Quum enim egregiæ virtutes Venerabilis Servi Dei etiam pro illo temporis spatio, quo obses fuit in Affrica non per solos Testes Affricanarum Inquisitionum, sed per alios quamplurimos, atque *legittimos* Hispalensium Processuum, ac universali præterea gravissimorum Scriptorum contensione satis, superque probatæ sint, optimo, meritoque jure in tanta Testium, & Historicorum multitudine, omnem abjecerunt sollicitudinem egregii hujus Caussæ

---

(1) *Noviss. Animad. pag. 2. §. 5. in princ.*
(2) *Bened. XIV. cit. Oper. lib. 3. Cap. 8.*
(3) *Cit. Oper. lib. 2. Cap. 53. §§. 7. & 8.*

NIMAD. um. 4. Caussæ Postulatores in curando, ut Processus Affricæ *legittimi* decernerentur, quum satis esset vim iis inesse *validi adminiculi*.

20 Sed & multo inanior, & a Caussa quam agimus prorsus extranea, est illa animadversio, quod quum *a Sancta Sede concessum est, ut directis probationibus deficientibus subsidiariis suppleatur, utque hujus generis probatio ex Testibus de auditu, & de publica voce, & fama una cum historicis confici possit, illud omnino est volitum, ut Testes legittimi afferrentur. Permisit uno verbo, ut Testes adhiberentur de auditu, dummodo tamen Testes essent.* Id enim locum haberet, si nos in Affricanarum Inquisitionum tabulis omnem probationis vim, omnia rationum momenta constituissemus. Secus vero se res habet. Abundat siquidem Causa, TESTIBUS LEGITTIMIS HISPALENSIBUS, ipso fatente ingenuo Contradictore, abundat *Historicis* auctoritate, & numero gravissimis, & præstantissimis. His *simul junctis*, simulque jungendis cum *valido adminiculo* desumpto ex dictis Testium Africanorum innitimur, ex his omnibus non *seorsim*, non *singillatim*, sed SIMUL CONSIDERANDIS emergit subsidiaria illa probatio heroicarum Ven. Ferdinandi virtutum, quam Apostolica Sedes Benedictinæ legis præscripto requirit *ad faciendam viro prudenti, & de re gravi judicaturo authoritatem, & fidem*.

NIMAD. um. 5. 21 At *inutile est, ut Testes sive ex Processu Apostolico Hispalensi, sive ex Fiscali, sive demum ex eo super fama Sanctitatis afferantur*, instat adhuc præclarissimus Censor. *Quamvis enim legittimos esse non inficietur, negat tamen esse ejusmodi, quales nostra hæc judicia requirunt, ut ex iis una cum historicis conjunctis subsidiaria probatio emergat*. Cur vero id? *Quia nempe* (subdit) *generica virtutum, & Sanctitatis testificatio nihil prodest, nisi præterea specifici virtutum actus proferantur*. Verissimum hoc quidem. At quid quæso ad rem, Causamque nostram tam alte repetita oratio de *specificorum Actuum* necessitate? Num a Testibus Hispali, vel Ordinaria, vel Apostolica authoritate *legittime* examinatis, minime proferuntur *specifici virtutum Actus*, copia innumerabiles, magnitudine admirandi, ac splendidissimi? Heic PATER BEATISSIME responsione opus non est. De FACTO agitur. Patet cuique SUMMARIUM, patent ELENCHI heroicarum *in specie* virtutum in superioribus proximis Comitiis AA. PP. distributi. Horum paginæ *specificis* refertæ *Actibus*, enarratis per Testes Hispalensium Inquisitionum versantur omnium manibus, in omnium oculos ultro incurrunt, nec Animadversiones ipsæ inficiari, dissimulareque possunt adeo evidentem FACTI veritatem.

IIMAD. im. 6. 22 Vidit id planeque sensit clarissimus Præsul modernus S. Fidei Promotor, ac propterea satius ducens præterire silentio, quam vel leviter oppugnare, aut probationum vires, aut fulgorem Virtutum Servi Dei quoad integrum vitæ cursum in Hispalensi civitate traductum feliciterque *consummatum*, diligentiam animadversionis, officiique sui restrinxit, atque coercuit ad suppositum illud QUINQUENNIUM, in quo CONTRERIUS Barbaris sese in servitutem dedidit. *Scimus enim* (inquit) *ubi fuerit, qua etiam de causa fuerit: quid tamen id QUINQUENNIUM fecerit, quibus se exercuerit virtutum actibus, num vero assidue, num etiam procul ab omni labe, hæc omnia sunt ignota*. Mirum profecto id esse perspicacissimo Viro adhuc *ignotum*, quod ex Caussæ Actis, quod ex *Summario*, quod ex duobus Virtutum *Elenchis* typis impressis non potest cuique, dummodo vel leviter excutiantur, non esse NOTISSIMUM.

23 *Quid præstant quæso, quid valent* (pergit ipse nihilominus) *Hispalenses Testes? Quid enim dicunt? Hoc unum omnino Venerabilem Contreras obsidem*

dem fuisse apud Barbaros captivorum redimendorum gratia, præterea nihil. Præterea nihil? At PP. AA. vestram fidem! Quid? Nonne Testes Hispalenses ii sunt, qui de heroica Ferdinandi FIDE, dum Tetuani moraretur sermonem instituentes, affirmant, per id temporis in more institutoque positum fuisse Venerabilis Viri, ut quotidie fere diuturnam operam impenderet, vel in edocendo christianos pueros, & adultos veræ Religionis Mysteria, vel in Infidelium impugnandis erroribus, confirmandisque Catholicorum Dogmatum veritatibus, idque tanto animi impetu, & eloquentiæ vi, ut verba illius hominum corda pervaderent sagittarum instar, atque Infideles vel ad amplectendam Christianam Religionem adduceret, vel obstinationis, & pervicaciæ suæ inexscusabiles efficeret (1)? Nonne Testes Hispalenses ii sunt, qui referunt, Venerabilis nostri laboribus maximam, ac pene innumeram Infidelium, & Maurorum, & Judæorum copiam ad Orthodoxam Fidem traductam; veniamque proinde assequutum, vel ab ipso Turcarum Regulo expiandi sacrosancto regenerationis lavacro homines vel Turcica, vel Judaica superstitione imbutos, qui ejuratis Sectæ erroribus initiari peterent Christi sacris, adeoque vehementer in Conversorum animis impressas ab eo fuisse Fidei veritates, ut ad hanc rite servandam, fovendamque, novi Proselyti patriam, parentes, & commoda sua lubenter desererent, & in Hispaniam sese conferrent (2)? Hispalenses certe Testes sunt, Hispali rite, & recte examinati ii, qui narrant, FERDINANDUM assiduis suis concionibus adeo miros fecisse progressus, ut vel ipsum Tetuani Gubernatorem, *Alcaydem* vulgo dictum, ad suscipiendam Fidem suaserit, sponsione data, quod revera præstitisset, nisi morte præreptus esset (3). Hispalensium Testium jurejurando devincta veritas affirmat, quod Tetuani degens Christianos omnes incredibili animi ardore erigebat, atque excitabat ad Fidem, quin ab assiduo hoc exercitio illum dimovere unquam potuerint, aut Barbarorum metus, aut impendentia undequaque pericula, aut immensi labores (4).

24 Quid vero dicam de cæteris præclarissimis actibus per Ferdinandum in Africa elicitis, narratisque ab iisdem Testibus Hispalensium Processuum, qui vivam, ac stabilem illius in Deum fiduciam evincunt, quum ipse scilicet Provinciam Julio-Cæsareensem siccitate laborantem a quadriennio, publica puerorum supplicatione indicta, vixque absoluta, largo demisso imbre per sex dies, divinitus refici impetravit (5); quum super pallio mare transfretavit (6); quum piratas illius navim aggressuros voce determuit (7); quum plures dæmone obsessos liberavit (8); quum denique Mauros Ceutam extemplo obsidentes, Cruce & adhortationibus suis longe fugavit

(1) *Nov. Elench. Testis XXV. pag.50. Testis VI. pag.61. Testis IX. pag.62. Testis XXVI. pag.63. Testis IX. pag.67. Testis V. pag.107. Testis III. pag.156. Testis IV. pag.185. Testis XXVI. pag.200.*

(2) *Nov. Elench. Testis XXVI. pag.63. Testis XV. XVII. XX. XXV. pag.93., & seqq. Testis II. pag.156. Testis V. pag.109. Testis VII. pag.181. Summ. pag.120. §.49. pag.69. §.12.*

(3) *Nov. Elench. Testis IV. pag.147. Testis VII., & VIII. pag.148. Testis IX. pag.182.*

(4) *Nov. Elench. Test. IX. pag.67. Test. VII. pag.61.*

(5) *Ibid. Test. IV. pag.111. Test. XIV. pag.114. Test. I. pag. 154. Test. XXI. pag.184., & pag.252.*

(6) *Nov. Elench. Test. IX. pag.68. Summ. pag.156. §.3. pag.228. §§.26., & 161.*

(7) *Nov. Elench. Test. XVIII. pag.87. Test. VII., & VIII. pag. 97. Test. III., & IV. pag.223, , & Summ. pag.36. §§.26., & 27.*

(8) *Nov. Elench. Test. V. pag.84. Test. IV. pag.163.*

ANIMAD. Num.6.

gavit (1). Relinquo, ac breviſſime excurro hæc, aliaque permulta, quæ à Teſtibus Hiſpalenſibus relata accepimus de rebus a Dei Famulo præclare, ſanĉteque in Affrica geſtis, ne abuti videar in hac poſtrema Cauſſæ Defenſione, & patientia Ampliſſimorum Suffragantium, & præſentia majeſtatis Tuæ, PATER BEATISSIME. Præterire tamen nullo modo poſſum illud, quod ab eorumdem Teſtium ore de Servo Dei *Tetuani commorante* hauſimus, atque expreſſimus, Venerabilem nempe virum ibi vixiſſe mancipiorum inſtar, & cum magno vitæ periculo in ſubterraneis cryptis, nihil de temporali ſalute ſollicitum, ut compararet æternam, & vitæ prodigum ſuæ, ut ſervaret alienam (2). Quo enim alio fine permotus, niſi ſempiterno beatæ SPEI tot incommoda, labores, pericula terra marique aggreſſus eſt, atque ſuſtinuit incredibili animi hilaritate, ac lætitia, nihil pertimeſcens barbarorum immanitatem, ignota littora, atque itinerum longinquitatem, quæ ſicut pedibus peragere ſolebat, ita crurium infirmitate laborare cœpit, quæ illum uſque ad obitum atrociſſime anxit (3)? Quod vero dum Tetuani obſes detinebatur, corpus ille ſuum ſpontaneis, aſſiduiſque afflictationibus ita maceraret, ut ejus vita miraculo adſcriberetur (4), quod non ſolum Chriſtianos omnes vehementiſſime excitaret ad firmam Spem futuræ vitæ, & gloriæ ſempiternæ, ſed ipſos infidelium animos adeo inflammaret illius conſequendæ cupiditate, ut Catholicam Religionem, tanquam unicam ad id aſſequendum viam, ſponte amplectarentur (5), iidem Teſtes unanimiter deponunt. Quid autem quæſo, niſi heroica in Deum Spes excitare potuit, atque erigere inopem hominem, ut tam arduum ſuſciperet redemptionis opus, tantam pecuniæ vim cogeret ad illud perficiendum, ac obſes etiam pro aliis liberandis maneret (6)?

25 Quod ſi ſummatim exponere, ac ſummis, ut dicitur labiis attingere vellem ea omnia, quæ de heroica Venerabilis viri Tetuani degentis CHARITATE commemorant ſæpe laudati Teſtes Hiſpalenſes, facilius exitum, quam principium mea inveniret oratio. Poteſt ne ullum dari præclarius, atque vehementius divinæ dilectionis argumentum, eo, quod in oppetenda pro Chriſto morte verſatur? Hoc *FERDINANDUM* dediſſe, deſiderio flagrantem ſubeundi martyrium; ideoque pericula, quæ Tetuani, atque in aliis Africæ oris ſibi imminebant, pro Dei gloria, atque hominum utilitate alacriter contempſiſſe tradunt iidem Teſtes Hiſpalenſium Inquiſitionum (7). Addunt, quod quum ſacra myſteria Tetuani perageret, tanto æſtuabat divinæ charitatis incendio, ut adſtantes omnes divino amore inflammaret (8). Quod autem per id temporis, ardentiſſimo, atque aſſiduo ferre-

(1) *Teſt. IX. pag.97. Teſt. XV., & XXVI. pag.98. Teſt.IV. pag.223.*

(2) *Nov. Elench. Teſt. VIII. pag. 162. Teſt. II. pag. 163. Teſt. XXI. pag. 184. Teſt. X. pag.224.*

(3) *Ibid. Teſt.VIII. pag.89. Teſt. XXVI. pag.90. Teſt.VII. pag.99. Teſt.XXII. p.125. Teſt.IV. pag.184., & Teſt.IX. pag.226.*

(4) *Nov. Elench. Teſt.IX. pag.100. Teſt. VI., & VII. pag,106. Teſt. IV. pag.3. Teſt.XXI. pag.164 Teſt.III. pag.153. Teſt.IV. pag.181., & Teſt. VII. pag.197.*

(5) *Ibid Teſt, XXXVIII. pag.93. Teſt. VII. pag.61.*

(6) *Ibid. Teſt. XVIII. pag.87. Teſt. XII. pag.88 Teſt. VIII. pag.89. Teſt. XVIII. XXIV., & XXVI. pag.243., & Teſt. XXII. pag.245.*

(7) *Nov. Elench. Teſt. VI. pag 61. & Teſt. VII. pag. ſeq.*

(8) *Ibid. Teſt.III. pag.153., & Teſt.IV. pag.181.*

ferretur orationis studio, iidem affirmant (1); quinimo Testis XXXVII. Processus Apostolici Hispalensis uberrimum conversionum fructum, atque inusitatum ardorem, quo prædicabat, tribuit sublimi, atque excelso Contemplationis gradui, ad quem ipse conscenderat (2). Unde autem perpetua illa, & æquabilis animi tranquillitas, vultusque hilaritas, quam in angustiis Tetuani prætetulit, nisi a Deo, quocum semper erat ipse conjunctus (3)? Hinc opera sua universa ad majorem Dei gloriam direxit, neque alium ullum, præter supernaturalem, sibi proposuit finem (4). Quæ omnia manifeste declarant, quanto Ven. Vir, dum Tetuani versaretur, conflagraret impetu Charitatis in Deum; ne dicam cæteros, quos in Africa protulit, ardentissimi Amoris actus, quum scilicet in media Julio-Cæsareæ platea raptus in Deum, sursum e terra se extulit, inspectantibus, attonitisque barbaris (5); vel quum Septæ a sensibus avocatus instar Solis exsplendescere visus est (6). Animad. Num. 6.

26 Si vero Charitatem in Deum, juxta Patrum, Theologorumque doctrinam, ex fraterna dilectione metiamur (7); fateamur quidem oportet, ardentissimam illam in Ven. Viro extitisse, quum in proximorum Charitate vix quempiam habuerit parem. Nullum enim misericordiæ genus est, sive illud spiritus, sive hominum corpora respiciat, in quo Contrerius, dum obses Tetuani versabatur, summa alacritate, frequentia, & inusitato quodam modo sese non exerceret. Audiatur quæso Testis VIII. Processus Apostolici Hispalensis in specie (8). *Quando si trovò nella Città di Tetuan in Africa .... elesse la sua abitazione nelle Carceri, doue erano li Schiavi, mangiando quello, che essi mangiavano, e dormendo sopra una piccola Stuora: E se li Custodi, o Sentinelle delle dette Carceri trattavano li Schiavi con qualche rigore, li pregava, che lo moderassero, procurando in tutto il Ven. Servo di Dio l' assistenza alli Schiavi infermi, sino ad applicargli li medicamenti, e procurava alli medesimi li letti, ed elemosine competenti per il loro sollievo, e restando per sicurtà delli medesimi, quando uscivano dalle carceri.* = Ita quoque se habent reliqui Testes Hispalensium inquisitionum (9).

27 Hæc fuit vitæ ratio, hic modus, quo se Tetuani gerebat S. Dei erga mancipia. Sed non ea solum fuere incircumscriptæ suæ Charitatis objecta: Hæc enim longe progressa omni quoque sollicitudine afficiebatur in utilitatem Fidelium qui a captivitate immunes Tetuani degebant, vel mercabantur. Rem ab ipsis Testibus audiamus. = *Stando in Tetuano* (sic Test. IV. prædicti Proc. Apost. in specie) (10) *cercò con ammirabile industria li Spagnuoli, che erano ivi, con frequenti, e pie esortazioni procurò riformare li loro costumi, li quali, siccome li sudetti trovavansi distratti nei traffichi, e commerci, non erano conformi alla nostra santa legge, & ottenne finalmente il desiderato effet-*

(1) *Ibid. Test. IV., & VII. pag 92., & seq.*
(2) *Ibid. pag. 110.*
(3) *Nov. Elench. Test. VII. pag. 99.*
(4) *Ibid. Test. IX. pag. 68. Test. V. pag. 109. Test. XXVI. pag. 110.*
(5) *Ibid. Test. XIV. pag. 114. Test. XXIV. & XXVII. pag. 115.*
(6) *Ibid. Test. XXIV. pag. 112. Test. II. V. VI. X. & XI. pag. 113. & seqq. Test. XIV. XV. XXIV. & XXVII. pag. 114. & seq. Test. VIII. IX. X. XV. XVII. & XVIII. pag. 116.*
(7) *S. Augustin. in ep. ad Hieronym., & lib. de Mor. Eccles. cap. 27. S. Thomas 2. 2. qu. 25. art. 1. juxta epist. 1. S. Joannis Cap. 4.*
(8) *Nov. Elench. pag. 162.*
(9) *Nov. Elench. Test. II. pag. 163. Test. XXI. pag. 184. Test. X. pag. 224.*
(10) *Ibid. pag. 197.*

NIMAD. Num. 6.

effetto, perche li riduſſe ad una vita migliore; & affinche non ſi raffreddaſſero nella divozione, nè ſi ſcordaſſero delli Criſtiani eſercizj, ne' quali egli li aveva iſtruiti, ottenne il permeſſo dal Rè di Fez Padrone parimente di Tetuan, che ſi ſtabiliſſe un Oratorio nella ſteſſa Dogana, ad oggetto che ivi ſentiſſero la Meſſa, riceveſſero li ſanti Sagramenti, faceſſero orazione, recitaſſero il SS. Roſario, faceſſero nelli Venerdì, vigilie de' Santi, e notti di Quareſima l' eſercizio della diſciplina, nel qual eſercizio li accompagnava lo ſteſſo Ven. Padre, commutando il tratto delli riferiti Mercanti in un negozio della loro ſalute eterna =. Idem plane teſtantur cæteri (1). Quotnam ſpecifici virtutum actus, quam aſſidui, quam præſtantes Fidei, Spei, Charitatis, Prudentiæ, Juſtitiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ ex allatis teſtimoniis non emergunt a Dei Famulo eliciti in *Affricana* ejus vitæ *Epocha*, & Hiſpalenſum fide Teſtium communiti! Sed his alii quoque accedunt.

28 Non modo enim FERDINANDUS ſacræ erigendæ ædis veniam a Barbaris eſt conſequutus, ut Sacramenta, & alia pietatis opera Catholici exercerent; verum etiam a Tetuani Præſide facultatem obtinuit, arduam illam quidem, & plane inſuetam, exſtruendi Cœmeterii, quo Chriſtianos vita functos deferebat, iiſque ſolvebat extrema (2). Nec ſatis illi fuit opitulari præſentibus, niſi etiam poſteritati proſpiceret. Quare ab inclyto illius temporis Portugalliæ Rege impetravit, ut ſtabilis in ea Civitate Miſſio inſtitueretur, quæ Curæ Patrum extinctæ Societatis Jeſu commiſſa fuit (3). Quid poterat amplius facere, quam geſſit? Proximorum ſaluti ſolummodo intentus, curam, operamque omnem contulit ſuam ad captivorum ſolatium; eos ad patientiam, & conſtantiam aſſidue hortabatur, Chriſtiana doctrina quotidie informabat, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ muniebat Sacramentis, & ſpiritualibus omnibus præſidiis ita proſequebatur, ut complures Teſtes affirment, Ven. Virum non tam ſe conferre in Africam conſueviſſe redimendorum captivorum gratia; quod quidem munus etiam abſens perficere quodammodo potuiſſet; quam confirmandi, juvandique miſeros illos captivitate detentos, novoſque Proſelytos acquirendi Chriſtianæ Fidei (4). Quoties vitam expoſuit ſuam pro mancipiis, ac tum maxime, quum divino lumine illuſtratus prævidit, captivum quemdam prope Tetuanum dominæ ſuæ nupturum, in eo eſſe, ut a Religione deſciſceret! Accurrit Ven. Vir, illumque a propoſito revocavit; & quamvis Maura mulier omnibus contumeliis, perſequutionibus, & injuriis FERDINANDUM laceſſeret, ipſe patienter ferens adverſum quidque, captivum redemit, eduxit, atque in Fide firmavit (5). Tetuani pariter captivam mulierem proſtitutam, ab illecebris revocavit, & ad pœnitentiam redegit (6). Si Mauros unquam vidit in Tetuani mancipia ſævientes, ipſe precibus, & gratia adeo effecit, ut Barbari manſueſcerent, & immanitatem remitterent (7). Captivorum autem expleta redemptione, commoda omnia,

(1) *Nov. Elench. Teſt. IV. & VII. pag.* 197. *Teſt. VIII. pag.* 148. *Teſt. XXVII. pag.* 155. *Teſt. IX pag.* 162. *& Teſt. XI. pag.* 163.

(2) *Nov. El. Teſt. VIII. & IX. pag.* 162. *Teſt. IV. pag.* 181. *Teſt. VII. pag.* 197.

(3) *Teſt. IV. pag.* 61.

(4) *Nov. El. Teſt. VII. pag.* 61. *Teſt. IX. pag.* 125. *Teſt. VIII. & X. pag.* 226. *Teſt. XXV. pag. ſeq. Teſt. II. pag.* 1,6. *Teſt. X. & XVII. pag.* 93. *Teſt. XXXI. pag.* 187. *& Teſt. XXI. pag.* 170.

(5) *Ibid. Teſt. VIII. pag.* 68. *Teſt. IV. pag.* 124. *Teſt. I. pag.* 125. *& Teſt. II. pag.* 197.

(6) *Nov. El. Teſt. VI. pag.* 83. *& Teſt. XI. pag.* 84.

(7) *Ibid. Teſt. IV. p.* 108. *& Teſt. VIII. p.* 162.

omnia, quæ sibi cæteroquin spernebat, iis ad iter faciendum comparabat; & si pueri erant, qui longius ambulare non possent, ipse ulnis gestabat suis incredibili plane labore, & anxietate: tanta ejus vis Charitatis (1).

29 Sed quid alia commemoro, aut Charitatis argumenta perscrutor alia, si actum istius virtutis habemus ita sublimem, ita heroicum, ita vere admirandum, ut nihil supra possit; OBSIDEM nimirum SE TRADIDISSE BARBARIS. *Scire piget* (utar verbis Martialis ad Scævolam) (2). *Scire piget post tale decus quid fecerit ante*. Si enim Charitas nulla perfectior est ea, quæ vitam exponit suam pro aliena, juxta illud Joannis (3) *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, actus quidem, quo CONTRERIUS pro aliis liberandis obsidem se dedit Mauris, est præstantia quædam, & perfectio Charitatis, qua alia vix major esse potest. Qui autem id facere potuit, animadvertat quisque, num leviora potuerit, quo & alii facile perveniunt. Opitulari miseris, magnum illud quidem, & meritorium, sed commune cum multis; verum se tradere pro aliis, subire servitutem, vitam ærumnis, ac periculis exponere aliorum hominum beneficio, hoc vere singulare, ac paucorum est; & qui facit, is Filium Dei propius imitatur.

30 Quamvis autem ex hoc, aliisque relatis virtutum actibus satis constet, quæ etiam essent in Ven. Viro, donec Tetuani versatus est, ceteræ Morales virtutes; quis tamen heroicam illius PRUDENTIAM non admiretur secum revolvens, quomodo potuerit in locis adeo immanitate barbaris, adeo religione impiis, Infidelibus æque, ac Christi Fidelibus tantopere prodesse, hisque omnia, & spiritualia, & temporalia præsidia, ac media comparare, illos vero ab haustis cum lacte nutricis, sive Mahumeddicæ, sive Judaicæ superstitionis erroribus trahere, & ad VERITATIS agnitionem convertere; quomodo tantam pecuniæ vim eminus cogere, ut se obsidem liberaret; quomodo puerorum, ac mulierum, quæ prævaricationis discrimini sunt magis obnoxiæ redemptioni, quamquam omnium sumptuosissimæ, ac difficillimæ, adeo impense, feliciterque studere, tantamque, & puerorum, & fæminarum manum, invitis licet, ac repugnantibus iis, in quorum potestatem pretio pervenerant, eripere a barbara servitute; quomodo denique ipsorum barbarorum gratiam, benevolentiam, summamque æstimationem sibi mirifice conciliare (4).

31 Nec aliter de tribus reliquis moralibus virtutibus dici, existimarique potest. Quid enim? Nonne heroicam Servi Dei JUSTITIAM pro eodem temporis spatio, quo in Affrica mansit demonstrant *Acta Hispalensium Inquisitionum*, cum ex religiosissima observantia Mandatorum Dei, & Ecclesiæ, flagrantissimoque zelo, & conamine promovendi divinum cultum, tum ex studio excolendæ Evangelicæ paupertatis, atque ex fideli erogatione pecuniæ pro captivis coactæ, servataque Barbaris fide tam religiose, ut illi promisso tantum S. D. acquiescentes, vel ejus baculo in pignus accepto captivos dimitterent (5)? Nonne invictam illius FORTITUDINEM satis evin-

(1) *Nov. Elench. Test.II. pag.90. & Test.XXVI. p.199.*

(2) *Lib. 8. ep. 29.*

(3) *Cap. 15. vers. 13.*

(4) *Nov. Elench. pag.67, per tot. Test.IV.pag.185. Testis XVIII.XXIV., & XXVI. pag.243. Test. VI. pag.181. Test. VIII., & IX. pag.162. Test.III. pag.153. Testis VIII. pag.148. Test. XX.XXIV., & XXVII. pag.68. Test.XVIII. pag.110. Test.II. pag.197., & Test.II. VIII. & X. pag.204.*

(5) *Nov. Elench. Test.X. pag.90. Test.XIV., & seqq. pag.208., & seq. Test.XVIII.XXIV., & XXVI. pag.243., & Test. XXII. pag.245.*

ANIMAD. Num.6.

evincit arduum ipsum Redemptionis negocium sponte susceptum? Nonne evincunt labores, difficultates, & pericula alacriter superata, summa, & æquabilis in adversis hilaritas oris, animique, ac illustre facinus obsidem se tradendi Mauris (1) non sine gravissimo suæ vitæ periculo, ad promptius redimendam ingentem Christifidelium manum? Nonne demum Venerabilem Virum fuisse heroice TEMPERANTEM, etiam quoad oppositum tempus Africanæ peregrinationis, satis superque declarant *legittimi* Testes Hispali producti, dum ab his narratum legimus, quod vir Dei Tetuani degens vitam ibi egerit *more captivorum*, quod mensam, domicilium, labores cum ipsis voluerit habere communes, quamvis commodissimo hospitio excipi potuisset a *Hieronymo Diaz*, quodque omnem mancipiis famulatum præstarit in abjectissimis etiam ministeriis? Si vero hujusmodi vitæ rationi addantur asperrimæ, quas prædicti Testes commemorant, & ad idem tempus referunt, carnis afflictationes, summa in summis opibus inopia, quum omnem pecuniam, quam pro sublevandis, redimendisque captivis colligebat, eorumdem beneficio penitus erogaret, quin obulum sibi possederit umquam, quanto, quam præclaro, quam eximio hæc eadem Epocha vitæ Servi Dei, quæ tamquam *magnis obvoluta tenebris* ab Animadversore traducitur, illustrabitur, atque clarescet, heroicæ illius, qua Ven. FERDINANDUS semper excelluit TEMPERANTIÆ splendore!

32 Jure igitur sæpe laudati Testes Hispalenses affirmant, Ven. Presbyterum eo tempore, quo Tetuani obses mansit tanta dedisse virtutum cum Theologalium, tum Moralium in gradu heroico argumenta, ut nusquam ampliora (2). Quibus omnibus probationibus si jungere velint AA. PP. judicium in Caussa laturi cætera illa, quæ mirifica omnium Testium consensio firmat, atque deprædicat de innocentia vitæ Ven. Viri, ab incunabulis ad ultimum usque vitæ momentum, deque assiduo progressu, atque incremento in exercitatione virtutum omnium (3); nemini profecto aut *dubia*, aut *obscura* esse poterit ratio vitæ a Dei Famulo in Tetuana illa peregrinatione traductæ.

33 Sed nil melius ostendit quanto eximiæ sanctimoniæ lumine illustretur tempus istud Tetuanæ captivitatis, ingenti illo nomine, ac fama sanctitatis, qua per idem temporis spatium, non solum apud Christi Fideles, sed etiam apud Barbaros ipsos, inclaruisse, prædicti Testes deponunt (4). Hæc enim est Sanctimoniæ vis, is splendor veræ virtutis, ut in improborum etiam hominum, & divinæ legis expertium oculos ultro incurrat, sibique vel ab ipsis inimicis admirationem, benevolentiam, & laudem conciliet. Itaque narratum legimus quod a Mauris, Turcis, Judæis Venerabilis *CONTRERIUS* pro *SANCTO, DEOQUE SIMILI* & appellari, & haberi, judicarique consueverit; quod ipsius precibus enixe se commendare, ejusque opem, & consilium in calamitatibus, ac discriminibus implorare solerent (5); quod frequentissimæ erant, & confertæ viæ, qua *FERDINANDUS*

---

(1) *Ibid. Test.VI., & seqq. pag.89, & Testis XXVI. pag.90.*

(2) *Nov. Elench. Test. VIII. pag.162. Test.XII. pag.78. Test.IV. pag.100. Test.VI., & VII, pag.106. Test.IV. pag.21. Test. XXI. pag.164. Test. VIII., & seqq. pag.243., & & Test.XXII. pag.245.*

(3) *Nov. Elench. Test. IV. pag.67., & Test.II. pag.153.*

(4) *Ibidem Test. IV., & seqq. pag.50., & seq., & Test.X. pag.122.*

(5) *Ibid. Test.IX. pag.63. in princip. Test.IX. pag.67. Test.IV. pag.180. Test. VI. pag.181. pag.181. Test.XXI. pag.184., & Test. IV. pag.185.*

D. terius Processus, aut ex *Historicis* aliisque extrajudicialibus monumentis, seorsim sumptis, distractis, divulsisque a Testibus reliquorum Processuum, quod novissimæ faciunt Animadversiones; sed ex Historicis, ac testimoniis omnium tam Apostolicarum, quam Ordinariarum Inquisitionum *SIMUL CONJUNCTIS*; uno verbo, quod quæ probatio virtutum Servi Dei haudquaquam elicitur, vel ex solis Processibus Apostolicis Hispalensibus *in specie, ac super Fama Sanctitatis*, vel ex solo Ordinario, ac Fiscali Hispalensi Processu, vel ex solis Inquisitionibus Julio-Cæsareæ, Ceutæ, & Teutani *nulliter* per locorum Ordinarios confectis ob defectum *legittimæ* jurisdictionis, vel demum ex solis Historicorum monumentis; eadem probatio in *suo genere perfecta, & CUMULATA*, absque ulla dubitatione emergit *EX HIS OMNIBUS SIMUL JUNCTIS*, simulque expensis; talis nimirum, *quæ fidem faciat viro prudenti de re gravi judicaturo, quæque si non impossibile, imprudens certe reddat judicium de opposito*.

NIMAD. m. 7.

35 At acutissimus Censor, cui nihil deliberatius est, quam ut Probationes omnes, quibus JUNCTIM usi sumus ad demonstrandum ex multiplicitate Actuum a Deo famulo elicitorum cùm omni vitæ tempore, tum præsertim in Africanis peregrinationibus, illius virtutes fuisse præclaras, excellentes, heroicas; separet, dividat, atque secernat, postquam *singillatim* excussisset omnes Processus, Historicos aggreditur, deducensque ex quibusdam verbis Magnis Operis Benedicti PP. XIV. (1), quæ cubitalibus exprimit litterarum notis *æque in Historicis requiri id, quod in Testibus notaverat, ut nimirum Servorum Dei facta speciatim referant*; *nihil valere Historicos* concludit in Caussa quam agimus, *quia nihil omnino nobis dicunt, præter genericum illud, Venerabilem Contreram in Africa fuisse*. Verumtamen præter quam quod ea, quæ Benedictus PP. XIV. uti privatus Author tradidit de Causis procedentibus *per viam extraordinariam cultus*, hoc est *post approbatum Casum exceptum a Decretis Urbani VIII.* deque historicorum authoritate in Judiciis *Virtutum*, aut *Martirii*, priusquam ad supremum Ecclesiæ solium evectus, æquitativam promulgaret legem de iisdem Judiciis per *subsidiarias probationes* absolvendis, non sine errandi periculo transferri possunt ad Causas *simplicium Servorum Dei*, & ad easdem quæstiones post dictam latam legem institutas in Sacra Rituum Congregatione; demus in his etiam *necesse omnino esse*, quod Sapientissimus Pontifex scripsit *necessarium sibi VIDERI, ut Historici cursum vitæ, si de Confessore & alia ad verum Martyrem spectantia, si de Martyre agatur exponant*. Quid tamen inde? Quod enim summus Author in *Historicis* postulat, ut scilicet haud sanctitatem in genere, sed vitæ cursum exponant, non quidem *seorsim singuli*, quod ne a Testibus quidem requiritur, sed OMNES SIMUL JUNCTI, id Historici nostri apprime faciunt. Narrant illi totum vitæ cursum Ven. Servi Dei, alii quidem *summatim, & incidenter*, alii vero *effuse*, atque *ex professo*: referunt actus virtutum eximios, atque admirandos a Venerabili CONTRERIO elicitos per omne vitæ tempus; denique iis omnibus qualitatibus prædicti sunt, quas in Historicis requirit Benedictus PP. XIV., loco ex adverso indicato, ut palam deprehendi potest ex *Summario* (2).

36 Quod si Historicos scindere vel inter se ipsos, vel ab Testibus licet, haudquaquam multo minus licet miscere, atque confundere brevem vitæ partem cum universo illius curriculo; ac negata parte, totum denegare; perinde ac si una parte

---

(1) *Lib.3. de Canonizat. Cap* 10. *num.*10.
(2) *Summar. pag,*22. *ad pag.*64.

te probaretur totum. Neque enim si forte Historicos nostros latuisset quidquid *Ferdinandus* Tetuani gessit (quod tamen eorum plerosque certe non latuit), sequeretur exinde, *universum vitæ cursum Servi Dei ab iisdem non exponi*. Itaque Animadversionibus interrogantibus, *quid valent Historici, qui nihil omnino nobis dicunt, præter genericum illud Ven. Contreras in Africa fuisse?* fidenter respondemus, valere plurimum *testibus junctos* ad perficiendam *subsidiariam probationem*, (prout Testes *de auditu a videntibus* Processus Apostolici *in specie* plurimum valent ad *directum* constandum probationis genus, ubi *oculatis* jungantur præcedentium Inquisitionum), tametsi nihil dicerent de tempore, quod Ven. Vir Tetuani traduxit. Hanc enim reticere brevem vitæ partem, non idem est, ac *totum vitæ cursum* prætermittere. Historici nostri *narrant vitæ cursum Servi Dei*, & si qui de Epocha Tetuana pauca referunt, non idcirco de reliquis vitæ partibus conticescunt. Præterea si in subsidiariis probationibus Historici adhibentur ad coadjuvandos Testes, quoties ipsi iidem Historici in aliqua vitæ parte, quæ minus explorata ipsis erat, confirment in genere id, quod Testes in specie deposuerunt, nec aliquid omnino afferant, quod vel Testium dictis, vel heroicitati Servi Dei adversetur, nonne satis probata erit *Viro prudenti* hæc vitæ pars, maxime quum duo extrema reliqui vitæ cursus, præcedentia scilicet, ac subsequentia tempora, sancta, & irreprehensibilia cum probationum pondere, tum virtutum fulgore esse perspiciat? ANIMAD. Num. 7.

37 Atque hæc *ad abundantiam*. Nam si clarissimus Animadversor *specificos virtutum actus* per Venerabilem nostrum Presbyterum editos ab *Historicis* in Summario, & in utroque Elencho productis, enarratos omnino deposcat, eos quidem in promptu habemus, imo adeo præsto sunt, ut Scriptores ipsi, quos Animadversiones afferunt tanquam exempla *silentii*, ac *genericæ* dumtaxat narrationis, illas de contrario prorsus convincant. Unde enim deducunt, *nihil omnino dici ab Historicis præter genericum illud, Ven. Contreram in Africa fuisse?* Provocant nos ad *Nicolaum Godigno*, qui de Contrerii captivitate referens, ita se habet (1) = *Quinque hic primum annos obsidis loco Tetuani continenter fuerat, quod pro captivis credito redemptis ultro fidem suam Barbaris præstaret* =. Heic Animadversiones consistunt, clamantque *nihil valere Historicos, qui nihil omnino nobis dicunt*. At bona verba quæquæsumus; ne hæreant primo quoque orationis aditu: progrediantur, quæque illico, & immediate sequuntur, audiant Historici verba. *Hæc una erat* (attendite Patres Amplissimi reliquos specificos, simulque admirandos heroicæ virtutis actus, per Contrerium exercitos in suo mancipatu, quos *Nicolaus Godigno* distincte accurateque refert). *Hæc una erat per ea loca vox, Contrerium virum esse insigni quadam præditum sanctitate. Talem Christiani, talem Saraceni, talem Hebræi prædicabant &c. Multa de hoc homine laude, & prædicatione dignissima efferuntur, ex quibus illud, quod appetente nocte, quando a diurnis negotiis quies erat*, SOLITUS ESSET AD ERGASTULA CONFERRE SE; RECTE VIVENDI PRÆCEPTA CAPTIVIS TRADERE; SALUTIS CURAM COMMENDARE; AD PATIENTIAM IPSOS, ATQUE AD OMNE PROBITATIS STUDIUM ADHORTARI; CERTO PRECUM NUMERO, AC FORMA SIMUL CUM IIS NUMEN SIBI PROPITIUM REDDERE; *denique* QUIDQUID SOMNI AD LABORUM, CURARUMQUE LEVATIONEM CAPIENDUM ERAT, LOCO INCOMMODO, ET ASPERO INTER EOSDEM CAPERE; INIBIQUE AD EXORTUM SO-

(1) *Summar. pag. 31.*

Animad. Num. 7. LIS PERSEVERARE. *Ardenter desiderabat, ut aliqui ex Societate illuc mitterentur &c. Quum primum igitur Patres (Societatis) Tituanum ingressi sunt, tanti viri fama, qua nihil tunc ibi celebrius, mirabiliter excitati, ejus prorsus vestigiis insistere decrevere. Unde factum, ut quod habebant inter mercatores hospitium, ultro desererent, & in ergastulis, nocturno saltem tempore, cum captivis esse mallent, quo possent facilius illa Contrerii opera imitari, rudes nimirum instituere, solari mæstos, desperatis, & oppressis opem ferre, iratos coercere, diffidentes conciliare, omnes in officio continere, atque ad amorem Dei, & spem salutis languentes excitare &c.* = Quid? Poterat ne elegantissimus Historicus vel accuratius, vel luculentius recensere specificos virtutum actus, quos Tetuani Contrerius exercebat, actus quidem heroicæ Charitatis, Fidei, Spei, cæterarumque Virtutum, quæ morales sunt?

38 Provocant nos etiam Animadversiones ad *Christophorum Mosquera*, a quo pariter *nihil omnino dici* affirmant *præter genericum illud, quod Ven. Contreras in Africa fuit*. At hic quoque Historicus tametsi in referenda Contrerii captivitate non diu immoretur, aliquos tamen indicare non desinit virtutum actus a Ven. Viro, dum obses detinebatur, elicitos. = *Assunse l'esercizio* (ita præfatus Historicus (1) *di portarsi nella Terra de' Saraceni a riscattare i schiavi, e lo stimavano tanto i Saraceni, che gli lasciavano dire la Messa, ed entrare nelle prigioni, ove stavano i schiavi Cristiani, e parlare con essi, e sù la sua parola gli fidavano porzione del riscatto. Fù tale, e tanto il discorso, ch' egli fece col Governatore di Tremezen, che credettero, che si facesse Cristiano &c.* = Non multa quidem hæc: fateor. Habemus tamen ex *Christophoro Mosquera*, copiosam captivorum redemptionem; summam, qua Venerabilem Virum Mauri prosequebantur, existimationem, & famam, qua etiam fiebat, ut sub ejus fide captivis traderent libertatem; obtentam veniam, & exercitationem celebrandi sacra mysteria, Christianorum carceres adeundi, illosque sedulo commonendi, studium denique, operamque omnem in id collatum, ut Tetuanæ Civitatis Præsidem ad Orthodoxam fidem traduceret. Quid? Num in Historicis æque, ac in Testibus requiritur, ut omnes, & singuli, omnia & singula referre debeant de vita, de moribus, de gestis, deque Virtutibus Ven. Servi Dei quocumque loco, quocumque tempore? Hactenus quidem hoc Jure viximus, ut toties Probatio, sive *directa*, & *plena*, sive *indirecta*, & *subsidiaria*, *in suo genere perfecta* exurgat, ac *perfecta in suo genere* haberi dicatur, atque existimetur, quoties vel inter Testes auritos primi gradus, vel inter Historicos: (utrisque enim competit pro respectivo probationis gradu juxta Generalia Decreta conjunctio, & quidem IN ÆQUALI LINEA PROBANDI, testibus nempe auritis primi gradus Apostolici Processus *in specie*, cum ocularibus præcedentium Inquisitionum, seu ordinariæ, seu Apostolicæ *super Fama Sanctitatis*; Historicis autem cum Testibus *de auditu*,) quoties, inquam, sive inter Testes, sive inter Historicos prædictos, aliqua unus, aliqua alter enarret, quæ *simul sumpta* depositiones Testium cum quibus jungi debent ad probationem perficiendam, adjuvent, atque confirment. Neque vero opus est, quod de omni tempore vitæ Servorum Dei idem omnino heroicarum virtutum, actionumque cumulus eruatur a dictis Testium, vel Historicorum; sed sufficit, ut ex indicentur virtutes, & præclara facta, in quibus pro statu, ac tempore, proque oblatis occasionibus potuerint sese exercere.

Jam

(1) *Summar. pag. 42. §. 6.*

39 Jam vero ut redeam ad duos illos Historicos *Mosqueram, & Godigno*, qui ab egregio Contradictore afferuntur in exemplum silentii, quod objicit universis de rebus pertinentibus ad Ven. virum in Africa commorantem, quum ne ab his quidem historicis omnino præteritæ dici possint res a FERDINANDO in Africa gestæ, imo quum uterque eorum, plures, atque specificos referat Virtutum actus a Dei Famulo elicitos eo tempore; judicandum relinquimus AA. PP. quam late, quam effuse hanc Epocham illustraverint reliqui Scriptores, quos sagacissimus Censor prætermittit. Nobis enim satis est Animadversiones refellere, atque convincere iisdem armis, quæ in nos impugnantur. ANIMAD. Num.7.

40 Quum igitur, & Hispalensium Testium auctoritate, & communi Historicorum consensione, & valido Africanarum tabularum adminiculo firmum ac fixum maneat, *postremum* decennium, ac Tetuanum tempus omne Vitæ Servi Dei, quod eo decennio comprehensum est, specificis heroicæ, cumulatæque virtutis actibus sic illustrari, & communiri, ut in subsidiariæ probationis genere, in quo versamur, nec *perfectior*, nec *uberior* expeti probatio possit; omittere libenter poterat præclarissimus Animadversor conclusionem illam a rei, factique veritate, nimis ut hactenus vidimus, abhorrentem, qua fidenter affirmans, ac pro certo habens *sanctissimis S.Congregationis legibus haud satis in hac Causa factum, videri posse, in qua ad quinquennii obscuritatem illustrandam subsidiaria probatio affertur, quæ ex Historicis, Testibusque, partim reprobatis, partim GENERALIA QUÆDAM DUMTAXAT NARRANTIBUS coalescit*. Sed & multo minus necesse erat, ut nos edoceret, *in more institutoque positum esse Sacræ hujus Congregationis ultimum vitæ decennium in virtutum disceptatione maxime inspicere, quum directa probatio deest, non secus subsidiariæ aditum fieri, quam ubi ex Testibus, Historicisque sit conflata, qui speciatim de virtutum actibus a Dei Servo exhibitis referant; Benedictum PP. XIV. Decreto illo anni* 1741. *ita prospexisse Causis testibus de visu carentibus tum in Ordinario, tum in Apostolico Processu; aucto probandorum miraculorum numero, ut quas conditiones in testibus oculatis requirimus, eas in auritis præterire non liceat*. Scimus hæc omnia, lateque exposuimus in præterita Defensione; sed scimus etiam, demonstravimusque novo contexto *Elencho* selectarum attestationum de specificis Actibus a nostro Dei Famulo elicitis *ultimo præsertim vitæ decennio*, eum, & in Hispalensi domicilio, & in Africanis peregrinationibus Christianas virtutes omnes excoluisse supra communem morem; scimusque præterea, ut jam supra observavimus, atque iterum repetere cogimur, probationem *heroici habitus* elici, exprimique oportere, non jam *a solis Processibus* vel Hispali, vel in Africa constructis, non *a solis Historicis*, sed ex CONJUNCTIONE OMNIUM ET TESTIUM, ET HISTORICORUM. ANIMAD. Num.8.

41 Vindicata firmitate & abundantia nostrarum Probationum, eliciendarum ex UNIONE legittimorum Testium Hispalensium cum GRAVISSIMIS ADMINICULIS Historicorum, & Africanorum Testium, ac fulgore Virtutum Servi Dei ex copia & multiplicitate heroicarum actionum, quas iidem Testes a que Historici *concorditer* enarrant cum *de Epocha Tetuana*, tum de reliquis præcedentibus, & subsequentibus temporibus vitæ Servi Dei; jactitent quantum velint Animadversiones *in Venerabilis Contreras rebus gestis cum alia vix esse, quæ heroicitatem præseferant, tum esse etiam aliquid, quod a virtutis specie longe absuisse videtur*; dicant, *actus heroicos, quos a communibus ejusdem generis discriminat promptior, alacriorque animus in illis pro oblata occasione amplectendis atque exercendis, sive in SUMMARIO,* ANIMAD. Num.9.

NIMAD. num.9. *sive in ELENCHO frustra requiri*; donec nullo id argumento confirment, aerem verberabunt, & nihil proficient. Neque enim alia ratione occurrere licet ejuscemodi *genericis*, inanissimisque assertionibus, *Facti* veritati ex diametro oppositis, quam *verbo* denegando quidquid *verbo* affirmatur, nisi fortasse provocare nos velit Animadversor ad integrum sive *Summarium*, sive *Elenchum* in hac ipsa Responsione exscribendum, quod cæteroquin ab hodierni Judicii majestate, & a nostræ defensionis instituto abhorret quam longissime, quum utrumque jamdiu præ manibus habeant AA.PP.

42 Quod si eorum aliquibus in superioribus proximis Comitiis adhuc quærendum esse visum est *ubinam in Ven. Contreras rebus gestis illa essent perfectioris modi quam communiter omnibus competat, & promptioris alacriorisque animi argumenta, quæ a communi virtutum exercitio heroicum distinguit?* rogo, obtestorque sapientissimos ac diligentissimos viros, ut sive ad *Summarium*, sive ad *Elenchum* oculos convertant, non seorsim singula, sed OMNIA SIMUL RITE, ET RECTE EXPENDANT, prout jubet Benedictus PP. XIV. suo illo Generali Decreto anni 1741. cum æqui bonique rationi, tum praxi ac disciplinæ Sacræ Congregationis innixo; quod Romanæ editioni Magni operis ejusdem Pontificis adjectum est (1). Nam *si singula eos forte non adhuc moverunt, universa certe tamen inter se connexa atque conjuncta movere debebunt*, ut cum Tullio loquar (2); nec fieri perfecto poterit, ut postquam OMNIA SIMUL *rite & recte pensaverint*, non videant, non sibi persuadeant, non libere pronuncient, *talem, ac tantam exurgere heroicarum virtutum moralem certitudinem, quæ haud impossibile quidem, sed tamen imprudens reddat judicium de opposito.*

43 Quæ autem adduci poterit ratio, ut *de opposito judicetur*, si totus S. D. vitæ cursus operibus maximis, admirabilibus, ac plane inusitatis cumulatus est atque refertus. Cur rite expendenti ac sedulo meditanti, res actionesque omnes innocentissimi Sacerdotis, prout a Testibus & historicis simul unanimi consensione enarrantur, *moralis* non occurrit *certitudo* heroici habitus in eo, a quo tam prompte virtutes universas excultas fuisse intelligat ab ineunte adolescentia ad extremam usque senectutem, ut voluptates omnes, vitamque suam contemnens, totus Deo, proximisque vacaret; nec modo oblatas sibi occasiones arriperet exercendæ virtutis, sed sibi eas faceret, quemadmodum in suscepta captivorum redemptione, in difficillimis Africæ peregrinationibus, aliisque voluntariis pietatis operibus palam ostendit: qui demum tantam in exercitatione virtutum præsetulit *alacritatem*, ut ardua quæque magnanime susceperit, fortiterque ad finem perduxerit, terræ marisque pericula spreverit, incredibiles tandem labores, atque ærumnas intrepide usque ad obitum tolerarit? Quid? Nonne Testes omnes in *Summario*, & *Elencho* relati, disertissime affirmant (3), Christianarum omnium virtutum heroicitatem clare patuisse in Ven. Viro ob singularem promptitudinem, & alacritatem, qua semper illas exercuit; hanc autem promptitudinem, & alacritatem indubie perspectam tum ex innumeris, ac repetitis actibus, quos toto vitæ curriculo sponte, constanterque perfecit; tum ex singulari lætitia, animique voluptate, qua eosdem elicuit; tum denique ex invicta patientia, & magnanimitate, qua virtutis opera quantumvis ardua

(1) *Lib.3, de Canonizat. cap.3.*
(2) *Lib.2. de Natur. Deor. cap.65.*
(3) *Ex Proc. Ap. in sp. Test.*IV. *in Nov. Elench. pag.*88. *Test.*VI. VII. VIII. *pag.*89. *Test.*IX. *pag.*54. *& Test.*IV. *pag.*234. *Ex Proc. Apost. Hisp. sup. Fama Test.* VII XV.. XXVI. & XXVII. *ibid. pag.*39. *&* 90. *Insuper Test.*V.X. XIII. XX. *&* XXXVI. *pag.*224. *Ex Proc. Sept. Test.*XXI. *pag.*92. *alibique passim.*

dua ac difficillime sectatus est. En *conditiones*, *quæ actus heroicos a commu-* Animad. Num. 9.
nibus discriminant: eæ sunt in Caussa: Testes aperte declarant: quid ultra requiratur?

44 Sed hæc Testium adsertio concordis, hoc unanime judicium, licet universale sit, atque innixum operibus S. D., diligentissimo tamen Animadversori non placet. *Facta* vult, quibus heroica virtus *singillatim* affulgeat, & *perfectior ille modus* emergat, *qui communem etiam bonorum consuetudinem antecellit*. Si ita est, num facta hujusmodi desiderantur, aut rara sunt, an non potius abundat iisdem Contrerii vita omnis? Ergo ne vitam tradere suam pro aliena; ingentia pericula, itinera, labores ad procurandam hominum salutem alacriter aggredi, ac sustinere; innumerabilem captivorum multitudinem e servitute liberare; maximum Maurorum, Turcarum, ac Judæorum numerum ad Ecclesiæ sinum perducere; Episcopatum Gaditanum, aliaque Ecclesiastica beneficia sæpius oblata respuere; baptismalem innocentiam PER ANNOS LXXVIII. quibus vixit, integram ab omni labe servare; toto hoc vitæ cursu in maximis etiam discriminibus nunquam irasci, animoque deficere; corpus denique assiduis jejuniis, & asperrimis carnis afflictationibus usque ad effusionem sanguinis macerare(1), actus sunt *communes*, quibuscumque hominibus, nec quidquam præseferunt *perfectioris illius & altioris modi*, quem S. Thomas a nobis proxima defensione laudatus, *in habitu heroico, vel divino* requirit? Quantumcumque probi sint homines, tamen studiose curant, quæ ad tuendam vitam sunt necessaria. At pestifera lue laborantibus, extrema charitatis officia indiscriminatim persolvere cum magno capitis periculo; inter acutos sentes, ac spinas sese conjicere ad repellendos pravos impulsus, nudumque caput sæviente hieme supponere largo imbri; super duris stramentis in extrema præsertim senectute, ac lethali ingravescente morbo somnum capere; lectulum, & donaria sibi ægrotanti oblata, egenis aliisque infirmis distribuere; ingentem pecuniæ vim cogere, quin sibi erogaret quidquam; atque in mandatis relinquere, ut corpus suum post obitum inter facinorosos, & nefarios homines humaretur (2); hæc, inquam, omnia haud sunt profecto *communia*. Quis inter illos, qui communi quadam bonitate præditi existimantur, tanta succensus est Fide, ut pedibus maria trajiciat, piratas ab aggressione voce coerceat, largum de cœlo imbrem demitti faciat, & Barbarorum fuget exercitum (3)? Quis *communi vulgarique virtute* exornatus ad cœlestia *Prophetiæ*, *& Discretionis Spirituum* dona, tantam adjungit divinæ Charitatis vim, ut loquens de Deo, audientium animos ad illius amorem & cultum vehementissime accendat; orans autem ita inflammatur, ut non modo vultu rubescat, sed quandoque sensibus abalienatus sursum rapiatur, & rutilans appareat instar solis (4)? Hæc aliaque permulta his similia, quibus referta est vita S. D. dum in *Summario*, atque in *Elencho* deprædicant jurati ex formula Testes, gravesque Historici, *in linea æqualis probationis* cum iisdem jungendi, *virtutes* deprædicant

---

(1) *Nov. Elench. Test.* IX. *pag.* 162. *& seqq. Test.* IV. *pag.* 60. *Test.* X. *pag.* 22. *Test.* III. *pag.* 218. *Test.* XXVI. *pag. seq. Test.* IV. *pag.* 50. *& seqq. Test.* X. *pag.* 229. *Test.* XVII., *& seqq. pag.* 235.

(2) *Ibid. Test.* IX. *pag.* 125. *Test.* III. *pag.* 142. *Test.* XXVI. *pag.* 229. *Test.* II. *pag.* 234. *Test.* XII. *&* XIV. *pag.* 219. *Test.* 4. *pag.* 143. *Test.* XVIII. *& seqq. pag.* 243. *& seqq. & Test.* X. *pag.* 122.

(3) *Ibid. Test.* IX. *pag.* 68. *Test.* III. *&* IV. *pag.* 223. *Test.* IV. *pag.* III. *Test.* I. *pag.* 154. *Test.* XXI. *pag.* 184. *Test.* IX. *pag.* 97. *& seqq. & Test.* IV. *pag.* 223.

(4) *Nov. Elench. Test.* XVIII. *pag.* 141. *Test.* XXXVIIII. *pag.* 155. *Test.* IX. *pag.* 121. *Test.* XXVI. *& seqq. pag.* 112. *& seqq. Test.* XIV. *pag.* 114. *Test.* XXIV. *&* XXVII. *pag.* 115.

dicant *earum conditionum expertes, quæ a communibus ejus generis actus heroicos diſcriminant*? Profecto ſi communis eſt inter Theologos doctrina, minime oportere, ut qui evangelicæ perfectionis heros declarandus eſt, omnes, quos edidit virtutum actus, ad ſummum perfectionis, & excellentiæ gradum ſemper perduxerit; ſed ſatis eſſe, ut aliquibus tantum virtutibus heroicis excellat, quemadmodum præter ceteros (1) docet Card. Bona (2), inquiens *Magnas occaſiones ſerviendi Deo, actuſque heroicos exercendi rariſſimas eſſe* =; aperte fateor, Ven. FERDINANDUM plura etiam edidiſſe heroicarum virtutum *facta ſpecifica*, quam ſtatus ſuus, & oblatæ occaſiones ferrent, ampliorem que, quam neceſſe ſit, ejuſmodi *factorum* copiam in hac Cauſa exiſtere. Tantum a vero abeſt, ut in ejus geſtis *eas conditiones, quæ a communibus ejus generis actus heroicos diſcriminant, fruſtra requiramus*!

45 Venio nunc ad factum illud Orationis publice a Dei Famulo habitæ de S.Idelphonſi laudibus, quo quidem facto *adeo a virtutis ſemita longe abfuiſſe viſus eſt*, cum veteribus noviſque Animadverſionibus, tum moderno S.Fidei Promotori, ut quoniam *ultimum* ejus *vitæ decennium præceſſit*, accuratius *reſpicere neceſſe fore* contendat *ad hoc poſtremum vitæ tempus*, perinde ac ſi non Cauſſa agatur *Innocentis*, ſed *Pœnitentis*, in quo ſublimiores ac frequentiores heroicæ virtutis Actus requiruntur, *digni* ſcilicet *pœnitentiæ* fructus *eo decennio* præbiti. Imbrobum profecto facinus! Sed rei geſtæ ſeries, prout ſe habuit repetere juvat, non *ex uno* tantum *hiſtorico aut Teſte*, at ex *omnibus ſimul*.

46 Quum die S. Idelphonſo ſacro in Eccleſia Cathedrali Hiſpalenſi is forte defuiſſet, qui onus in ſe ſuſceperat Panegyricam de Sancto Orationem habendi, Archiepiſcopus Card. de Manriquez in Contrerium oculos injecit, cujus eximia ſanctitas, & concionandi peritia ſumma erat apud omnes in exiſtimatione, illique præcepit, ut S. Idelphonſi laudes celebraret. Morem illico gerens Contreras Antiſtiti ſuo, ſuggeſtum conſcendit; & ſicuti Sanctorum geſta ad exemplum hominum, atque profectum recoluntur, ita nihil cohærentius, vel magis opportunum ratus, quam S. Archiepiſcopi virtutes imitandas Archiepiſcopo proponere, qui nomen, & dignitatem cum illo communem habebat; probeque cognoſcens nihil magis ad totius populi utilitatem conducere, quam Præſulis exemplum, & bene inſtitutam illius vivendi rationem, Evangelica uſus dicendi libertate ipſo orationis limine ad Antiſtitem ſeſe convertit, dicens, ſe de Idelphonſi laudibus acturum, Archiepiſcopi vero conſiderationi relinquere, quid inter utrumque Alphonſum diſcriminis intereſſet, ut ſi quid Præſul minus recte compoſitum in ſe deprehenderet, id S. Idelphonſi virtuti conformaret. Hunc autem lenem, tacitumque monitum tam caute, tam concinne, tam appoſite peregit, ut non modo Archiepiſcopo ulli prorſus eſſet offenſioni, ſed ampliſſimum etiam ab eo fructum referret. Quomodolibet narratio verſetur, hæc una eſt facti ſubſtantia, in qua ferenda omnes cum Teſtes, tum Hiſtorici apprime conveniunt; cætera, quæ ab Animadverſionibus adjiciuntur *de Audientium vel indignatione, vel riſu*, deque *omnium Hiſpalenſium animis rei novitate & ſingularitate affectis*, commotiſque, conjecturæ ſunt prorſus imaginariæ, nulloque omnino teſtimonio probatæ. Afferant ipſæ Animadverſiones Teſtes, quos malunt, quique rem durius exponunt; eos lubenter excipimus, iis ſta-

(1) *Matthæ de Canoniz. part.4. cap.6. num.2. & Card. de Lauræa in 3. Sentent. Tom.2. diſpat.4. art.5. num.84.*
(2) *In princip. Vit. Chriſtianæ part.2. cap.2.*

stamus; non enim effugiis, & cavillationibus decertare in animo est, sed veritate.

ANIMAD. Num. 10. ad 14. inclus.

47 Ut vero *Factum* in illo aspectu consideretur, quo in se est, non ad communes humanæ Prudentiæ regulas expendi debet, non ceterorum hominum consuetudini accommodandum est, sed paullo ulterius prætergredi oportet, in quo est *heroicitas* constituta, illudque metiri cum regulis *Prudentiæ Spiritus*, quæ Deum unum, quæ bonum tantum habet objectum, vano omni seposito respectu, & personarum acceptione. Si res ita expendatur, uti expendere jubet dubias Venerabilium Virorum actiones, de quorum sanctitate haud æquivoca ex Actis suppetunt argumenta, perpetua praxis ac disciplina Sacræ Congregationis, nemini dubium erit, quin actus ille qui forte mundanis oculis videri poterit devium a communibus & ordinariis legibus *Justitiæ*, *Charitatis*, atque *Prudentiæ*, sublimis plane, & heroicus appareat, quia cæteris etiam bonis defuisset animus monendi tanto cum fructu Archiepiscopum, quod nonnisi summa Charitas cum vera Prudentia, Justitiaque conjuncta potuisset explere; sin minus, nihil plane mirandum, quod actus ejusmodi per se præstantissimus temeritatis & stultitiæ culpa notetur; nam ut animadvertit S. Gregorius (1). *Sapientia Justorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare &c. Sed hæc Justorum simplicitas deridetur, quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur*.

48 Verumtamen ut novum Servi Dei vindiciis prospectum aperiam, perpendere quæso ne pigeat ante omnia oppositum factum prædictæ Orationis ab ipso habitæ, juxta regulas humanorum operum communes. Humani actus universi, quemadmodum facem præferente D. Thoma (2) docent Theologi omnes, bonitatem aut malitiam desumunt vel ab *objecto*, vel a *circumstantiis*, vel *a fine* operantis. Hoc posito videamus, quænam ex his qualitatibus concurrat ad condemnandam Servi Dei Orationem. Si ad *objectum* respiciatur, negare quis potest, illud in se non solum omni vitio vacuum, sed laudabile prorsus exstitisse, non aliud enim fuit, quam hortatio, & excitamentum quoddam Antistitis ad suam vitæ rationem S. Idelphonsi virtutibus conformandam. Quid pravi, quæso, quid criminosi continet objectum istud? Imo ita rectum per se est, ut eximiam Charitatem, ac Justitiam præseferre videatur. Sed *circumstantiæ*, inquient fortasse, quæ in hujusmodi actu influunt in objecti naturam, illud omnino depravant. Quæ? Aut enim respiciatur is, qui loquebatur, aut ille, ad quem sermo conversus fuerat, aut ea, quæ dixit; aut occasio, in qua ita loquutus est, aut modus, aut demum loci frequentia; nihil inde emerget, quod reprehendi ullo pacto possit, quod objecti bonitatem vitiet. Vir enim loquebatur perfectæ, atque exploratæ virtutis, qui tanta apud omnes fruebatur Sanctitatis opinione, ut ejus verba æqui bonique ab omnibus fierent; quæque fortasse in alterius ore audacia videri poterat, in eo tamen, qui libere semper, licet non inverecunde, de spiritualibus loquebatur, sancta simplicitas, & boni studium visum est. Id luculenter innuit Testis II. Proces. Inform. Hispal. (3), qui post habitam rei narrationem subiicit = *Tali ragioni dette da un luogo sì eminente non poterono dirsi, se non se da persona* dotta

(1) *Lib.10. in Job. Cap.29. col.360. oper. Tom.1.*
(2) *2.2. quæst.189. art.2.*
(3) *Summ. pag.73. §.32.*

MAD. n.10. 4. in-

dotta, e di grande virtù, durando fino al presente di ciò la memoria = Gradu ipse erat inferior; sed quod dignitati deerat, supplebat vitæ sanctitate, qua omnibus præcellebat, quæque illi pondus quoddam, & veluti auctoritatem tribuebat dicendi ea, quæ sentiret, maxime quum sacri præconis munere fungeretur. Quis verbo veritatis poscet, admonebit. arguetque Pastorem, si id Ministro Evangelico non liceat? Aut cur emendatio, & fructus, qui inde sperari potest, negligi debet? *Zelus domus Dei* (inquit S. Augustinus (1) *in qua domo Dei membrum est, unumquemque Christianum cum amico, cum inquilino, cum Cliente suo, CUM MAJORE, cum minore, comedere debet*. Et S. Gregorius Magnus (2) *Piæ subditorum mentes Præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt*.

49 Multo autem minus accusari poterit Oratio S. D., si attendatur ad Virum, ad quem illa habebatur. Noverat apprime Ven. Contrerius Cardinalis Archiepiscopi ingenium, atque naturam, perspecta sibi erat illius pietas, zelus; atque docilitas in se audiendo, excipiendisque Sacrorum Ministrorum monitis, atque consiliis, quibus omnibus prudentissime prænoscebat, hortationem suam utilitati futuram, non indignationi. Rem comprobavit effectus. Eam enim Orationem nemo reprehendit; imo omnes mirati sunt Ferdinandi sagacitatem, ingenuitatem, ac studium; & Præsul ipse, authoritate amplissimus, dignitate Eminentissimus, qui commoveri magis debebat, Orationem illam laudavit, adeoque acceptam habuit, ut exinde Contrerium in SUUM CONSCIENTIÆ MODERATOREM ADSCISCERET, & usque ad obitum sibi detineret, quæque reprehendenda in se fuerant, illico reformaret = *Lodò il Cardinale il Sermone, e gradì molto quella gran sincerità, e bontà* (3) = *Da' quali Sermoni tirò il frutto della sua maggior stima, & ottenne, che quello di Siviglia li consegnasse l'anima per sua discreta condotta fino alla morte* (4).

50 Ex quo quidem satis intelligi potest, ea, quæ Contrerius in oratione dixit, nullam omnino in se continuisse contumeliam, injuriam, vel adversi animi significationem; sed omnia directa ad *bonum finem*, & tanta sagacitate, ac prudentia prolata, ut Archiepiscopi ipsius, qui succensere præ ceteris debuisset, summam iniret gratiam. Quid criminosi reapse in illa Oratione deprehendi potest, si nihil positivum adversus Antistitem continebat, sed quamdam tantummodo inter utrumque Antistitem comparationem? Hæc vero comparatio, neque Archiepiscopi Cardinalis lædebat existimationem, neque ei crimen inferebat ullum. Nobilis enim, & decora fuit comparatio cum S. Idelphonso Toletanorum Antistite, neque eam Præsul graviter ferre debuit. Quod autem ipse non similis S. Idelphonso esset, non idcirco tamen reputabatur malus. Comparatio enim instituta cum meliori, non excludit bonum. Bonus erat Præsul, at S. Idelphonsus præstantior; proindeque Contrerius proposuit Antistiti suo, quid agendum superesset, ut ad S. Idelphonsi virtutem perveniret. Nonne quotidie ex suggestis hujusmodi comparationes instituuntur, quin Auditorum quisquam in quocumque licet altissimo dignitatis gradu sit constitutus, vel minimam capiat offensionem? Tunc sane obtrectationis argui posset, si S. Idelphonsi virtutibus Antistitis vitia palam opposuisset. Sed non ita se res habuit. Nihil enim

(1) *Tractat. 10. in Joan. Tom, 3. par. 2. pag. 372. edit. Veneto Mauriniana in fol.*
(2) *Pastoral. par. 3. cap. 1. admonit.*
(3) *Summ. pag. 106. §, 30.*
(4) *Nov. Elench. pag. 195. Test. XXVI.*

enim Contrerius de Archiepiscopi noxis patefecit, & si quid attigit circa familiæ Archiepiscopalis abusus, id notum, vulgatumque erat omnibus ita, ut Oratione illa potius restituta, quam læsa purpurati Antistitis fama visa fuerit (1).

51 At enim nec *occasio*, nec *modus*, nec demum *loci frequentia*, in qua loquutus est, ullam criminis notam inferre possunt concioni, Orationique Venerabilis Presbyteri. Opportunior quidem, & magis accommodata esse non potuit occasio, in qua memoria recolebatur Sancti illius, qui nomen, qui maximum *in Ecclesia Dei* Archiepiscopalis Ordinis, atque authoritatis gradum, qui alia plura cum Card. Manriquez habebat communia. Modus autem neque lenior, neque consideratior; scivit namque Præsulem excitare, & uberrimum ab eo consequi fructum, quin vel vitia panderet, vel offensionem ipsi aliquam afferret. Id luculenter eruitur ex Testibus XVIII., & XXVI. Processus Apostolici Hispalensis super Fama Sanctitatis (2). Ille enim post habitam rei narrationem inquit = *Ed in ciò si vede il sale, e la graziaCristiana, con cui seppe parlare a persona così superiore, che non solo non esasperava, ma che obligava ad esser maggiormente stimato, dal che si raccoglie essere soprannaturale la sua prudenza* =. Alter vero = *Mai si rese nojoso ad alcuno, anco nell'usare le riprensioni nel Pulpito, che parevano aspre; perchè la sua prudenza le dettava il come, & il quando, acciocchè avessero un buon effetto, come successe colli Monsig. Arcivescovi di Siviglia, e Toledo, Manrique, e Cisneros, dai quali sermoni tirò il frutto &c.* = Nil demum officit *loci frequentia*. Nam præter rationes, & auctoritates, in præteritis Caussæ propositionibus adductas, tum ab egregio viro qui nos in ea defendenda præcessit, tum a nobismetipsis (3), quæ luculentissime demonstrant, id publice fieri potuisse; animadvertere licet, Archiepiscopum duos præseferre status, alterum quidem privatum, alterum publicum. Nihil de privato dixit Contreras: quæ autem protulit, publicam tantum intuebantur personam, quæ quidem a publico sejungi, aut abscondi nequit; adeoque si publice monuit, si palam excitavit, nil gessit incongruens, aut munere alienum. Quin imo existimari hoc debet hæroicæ Prudentiæ indicium; quum inter signa simplicitatis, quæ Prudentiæ est adnexa, fel. mem. PP. Benedictus XIV. illud referat (4) quod *quis semper eodem modo se gerat in quocumque loco tam publico, quam privato*. Præterea si nihil, ut superius ostendimus, contumeliosi; si nullum omnino maledictum protulit in Antistitem suum; sed illum tantummodo comparatione excitavit, ut similem se præstare satageret S. Idelphonso; cur id proferre dedecuit in publica loci frequentia, quum nulla inde manaret in amplissimum Cardinalem infamia, & maximus e contra colligeretur publici illius excitamenti fructus? Num persuasum erat Auditoribus, S. Idelphonsum ab Hispalensi Antistite virtute æquari; vel non potius longe utrumque differre? Quod ergo persuasum omnibus erat, id CONTRERIUS protulit, nec ultra progressus est; ideoque loci frequentia nihil contrarii momenti auget ejusdem Orationi.

52 *Objecto*, & *circumstantiis* actionis de qua quæritur, ab oppositis tantorum criminum defectibus satis diligenter abstersis, satisque evidenter, ni omnia fal-

(1) *Nov. Elench. Test. XVIII. pag. 195., & Test. XXVI. ibid.*
(2) *Nov. Elench. pag. 195.*
(3) *Resp. ad 1. Animadv. pag. 244. §§. 17. 18. 19. 20., & 21., & Resp. ad nov. Animad. pag. 294. §§. 185., & 186.*
(4) *Magn. Oper. lib. 3. cap. 24. num. 12.*

fallunt, explicatis, vindicatisque; restat, ut *de fine* agamus, quo Ven. FERDINANDUS ad illum præstandum & eliciendum actum ductus est. Sed multa de proposito S.D. in hoc præclaro opere proferre non oportet: nimis enim exploratum est, nec Animadversiones ipsæ in dubium revocant, rectum omnino, & sanctum fuisse CONTRERII finem; nec alio spectantem, nisi ad perficiendam Præsulis sui virtutem, & si quid emendatione indigeret, reformandum. Id & verba ipsa S. D. satis declarant = *Io farò quello, che tocca a me, ed Ella farà quello, che tocca a Lei* =; & præ omnibus effectus, qui *fini* cumulate respondit, fructum nimirum, quem ab ea Oratione consequutus est, maximum, atque uberrimum. Adeo rectus extitit *finis*, adeo sapientia *media* per Dei Famulum adhibita ad illum nanciscendum! Jam vero si in operibus etiam, quæ ex objecto, & specie indifferentia sunt, FINIS RECTIFICAT ACTUM (1); quanto rectificabitur magis actus hic S. D., in quo non modo rectus est finis, sed objectum etiam, & circumstantiæ concurrunt ad illius rectitudinem comprobandam?

53 Hæc omnia ex communi doctrina, & *ex intrinseco*, ut ita loquar, hactenus desumpta argumenta satis superque forent ad justificandam S. D. Orationem, eamque ab omni crimine vindicandam. Si vero his non obstantibus (videant AA. PP., quantum in hujusmodi defensione abundare velimus) aliquid etiam dubii superesset ad actum hunc justificandum, illud ex praxi ipsa Sacræ istius Congregationis, & tradita per Benedictum PP. XIV. doctrina facile adimetur. Docet enim prælaudatus Pontifex cum Sententiæ inhærens SS. Bernardi, & Thomæ (2), tum PRAXI Sacræ Congregationis, quod *si pensatis omnibus pensandis, & animadversis omnibus animadvertendis, adhuc dubium superest de bonitate actus, resolutio petenda videatur a reliquo vitæ cursu, & ab aliis a Servo Dei gestis*, ac præsertim ab iis, quæ congruentiam habent cum actu controverso, nec non a felici insueti operis eventu. Si ad primum attendamus argumentum, perspectum sane, exploratumque est Ven. CONTRERIUM singulari semper observantia, & mira quadam veneratione prosequutum fuisse Præsules suos, ac nominatim Cardinalem Manriquez; iis obsequium, & obedientiam inviolabiliter præstitisse; nunquam ira commotum; nunquam de aliquo detraxisse; agendi ipsius rationes extitisse semper prudentia, & comitate plenas, incomparabilem charitatem, & studium, livorem vero, & arrogantiam nullam (3). Quod ergo semper a Ven. Viro alienum fuit, putandum ne est, in ea tantum Oratione, atque in publica populi frequentia fuisse patratum? Aliunde constat, Orationis hujus felicissimum plane fuisse eventum, & uberem ex ea fructum comparatum. Etiamsi igitur actus ejusmodi, cujus bonitas per se patet, aliqua adhuc ambiguitate laboraret, si illum regulis metiri velimus, quibus Sac. Congregatio in dubiis operibus dignoscendis uti solet, omni prorsus malitiæ nota carebit.

54 His positis, & constitutis, quæ in *Facto*, & *Jure* certissima sunt, quæ a nemine possunt in dubitationem adduci, videant nunc tandem AA. PP. videat ipse perspicacissimus Censor, quam facile uno veluti labefactata motu concidat tota acerbissimæ reprehensionis moles conflata, atque instituta adversus Orationem a Dei Famulo e suggestu pronunciatam. Ac primo non possumus non magnopere conqueri, ac jure dolere, quod Animadversor adaggravandum plus æquo actum hunc, nonnulla de suo penu in eodem describendo adii-

ciat

(1) *Bened. XIV. sæp. citat. Oper. lib. 3. cap. 41. num. 13.*
(2) *Bened. XIV. cit. Oper. lib. 3. cap. 41. num. 19., & num. 20. in fin.*
(3) *Nov. Elench. Test. IV. pag. 18., & in Resp. ad 1. Animad. Test. VIII. pag. 142.*

ciat, quæ nullo sane testimonio comprobantur. Unde enim eruitur FERDINANDI concionem acceptam fuisse, *INDIGNANTIBUS aliis, quod ita ille pudoris, debitæque pastori, Præsulique suo reverentiæ oblivisceretur; RIDENTIBUS vero aliis, quum ille toties eum locum iteraret = Egl' è Alonsò &c.?* Nullum sane IN ACTIS Caussæ universis, adeo gravis circumstantiæ extat vel leve vestigium. Conjectura hæc est nullo freta indicio, imo quæ est omni *præsumptioni* contraria. Non enim ea erat CONTRERII gravitas, doctrina, & eximiæ Sanctitatis opinio, ut *risum moveret*, vel *indignatione* ejus dicta *exciperentur*. Indignationi non fuit Cardinali Archiepiscopo, qui sermonem laudavit, acceptumque habuit; multo igitur minus indignationi, ac risui debuit esse cæteris, qui nullam habebant in eo partem. Neque objicere juvat, *sermonem illum adeo omnes sui novitate, & singularitate affecisse, ut ab eo tempore apud Hspalenses comparatio = egl' è Alonsò, e voi Alonsò = vulgare in proverbium cesserit.* Concedam si placet adhibitam a Servo Dei in eo sermone rationem fuisse *novam*, & *singularem*, quia cæteris Concionatoribus inusitatam; sed in hac ipsa ratione fundari, & constitui oportere dicam *actus heroicitatem*, quod nempe Venerabilis Sacerdos e suggestu pronunciare, & assequi ex pronunciata monitione potuerit id, quod alii, vel boni, non potuissent. Nego autem, *proverbium illud forte inde natum*, ullam Præsuli attulisse infamiam, vel existimationis jacturam; comparatio enim proverbio servata, nullum inferebat Præsuli crimen, sed illum tantummodo enunciabat a S. Idelphonso distantem præstantia virtutum; quod quidem omnibus persuasum erat, ut superius ostendimus. Præterea proverbium illud nulli fuit Antistiti injuriæ, sed laudi; nam quum facti memoria vigebat, vigebat etiam amplissimi fructus fama, quam Eminentissimus Præsul ab ea Oratione collegit? proindeque omnes cum Testes, tum Historici de optimo Archiepiscopo, & Cardinale summa cum laude meminerunt.

55 At unde nam quæso per Venerabilem Virum adeo *aperte, graviterque Justitiam, Prudentiam, & Charitatem violatam fuisse* arguit acutissimus Contradictor. Videamus ergo primum, cur contra Justitiæ leges peccaverit. Quia nempe, inquit, *debitum Præsuli obsequium despexit, eumque apud suos in existimationis discrimen adduxit*. Num obsequium vel in assentatione consistit, vel in reticendo Præsuli obsequii causa ea, quæ in illius dedecus vertunt? Verum imo obsequium est illud, quod bonum respicit ejusdem, quod consulit sinistris effectibus, quod demum Præsulis sui, ejusque familiæ mores ita componit, ut ædificationi sit, amplioremque virtutis famam consequatur. Is præterea Justitiam exercet, qui loquitur sine *personarum acceptione*, omnesque indiscriminatim monet de iis, quæ vel emendationem, vel mutationem in melius suscipiunt. Num CONTRERIUS ea monitione prætergressus est reverentiæ fines, aut debitæ subjectionis? Imo omnem observantiam, omnemque obedientiam præsetulit a primo ipso Orationis aditu, quum dixit = *Reverendissimo Padre, mi ha Ella imposto di far la predica nella Festa di S. Alonsò, ed io l'ho ubbidito come a mio Prelato, e Padrone* (1). = Honorem igitur præstitit, quem decebat, Præsuli suo; totamque Orationem tanta sagacitate, officio, ac dexteritate duxit, ut Antistitis animum sibi mirum in modum devinceret = *Gradì molto quella gran sincerità, e bontà* = Quomodo gratum esse potest, quod inobsequiosum est? Si igitur grata fuit Oratio, illa debito obsequio non defuit

(1) *Summ. pag.* 115. §. 28.

ANIMADV. Num. 10. ad 14. inclus.

IMAD. num. 10. 14. inc. fuit. At *id Præsulis ipsius, non Ven. Ferdinandi virtutem exhibet*. Uterque sane præbuit ea occasione argumentum virtutis, laudemque meretur, & Contrerii zelus, & Cardinalis Archiepiscopi pietas, atque docilitas; quemadmodum de Paulo corripiente, & Petro reprehenso tradidit S. Augustinus (1) = *Est itaque laus justæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro* =. Quemadmodum vero Paulus, qui ordine Apostolatus inferior erat Petro, obsequio non defuit erga Principem, dum illum publice corriperet; ita nec FERDINANDUS obsequio defuit erga Præsulem suum, dum publice commoneret. Statuatur igitur oportet, Ven. Contrerium ea Oratione nec re, nec verbis obsequio defuisse erga purpuratum Antistitem suum.

56 Multo autem minus *illum apud suos in existimationis discrimen adduxit*. Num æstimationem amittit is, qui Sancto in cælis triumphanti haud similis esse fertur? Æstimatio, præclara est opinio, qua gaudemus apud alios, integritatis, ac probitatis. Ad hanc evertendam positivum aliquod crimen requiritur; nec satis est dici, aliquem a Sancto differre. Si Contrerius igitur ea comparatione discrimen ostendit inter S. Idelphonsum, & Præsulem Manriquez, non illi idcirco intulit crimen, quo tantummodo hominum existimatio subvertitur. Imo si res bene perpendatur, ea Oratione Contrerius majori Præsulis sui existimationi, & famæ consuluit, siquidem suadens illi, ut S. Idelphonsi virtutes imitaretur, eaque omnia de medio tolleret, quæ nocua, & offensioni obnoxia esse poterant, ampliorem laudis, & æstimationis copiam illi aperuit, sicut reapse contigit. Neque judicium hoc nostrum, sed ipsorum est Testium (2). *Ed in ciò si vede il sale, e la grazia Cristiana, con cui seppe parlare a persona così superiore, che non solo non esasperava, ma che OBLIGAVA AD ESSERE MAGGIORMENTE STIMATO* =. Si ergo Dei Servus obsequio non defuit erga Card. Archiepiscopum, neque illum apud suos in existimationis discrimen adduxit, sed potius auxit honorem, quomodo in Justitiam peccavit?

57 Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facile quisquam intelliget, Orationem Servi Dei ne alienam quidem a Charitate fuisse. Hanc tamen violatam affirmant Animadversiones, quia tam intemperanter in Præsulem est invectus. In quo vero intemperantia ista consistit? Eam nec re, nec verbis, nec dicendi modo adfuisse, jam satis demonstravimus. Si is fuit Contrerii finis, ut Præsulem suum ad S. Idelphonsi imitationem excitaret, eumque ab aliquo defectu abduceret; actum exercuit perfectæ Charitatis. Quin imo tunc a Charitatis legibus longe aberrasset, si quum posset Præsulem suum in meliorem semitam redigere, ejusque mores reformare, id humanis rationibus facere contempsisset. Sed Contrerius noster, qui spirituali omnium utilitati, ac præsertim Antistitis, a quo publica maximopere pendet, enixe studebat, humanas quaslibet rationes illius saluti posthabuit. Præsul ea Oratione melior, ac religiosior evasit. Hoccine damnum illatum? Hic ereptus honos? Hæc violata Charitas?

58 Si vero Iustitia, & Charitas in hujusmodi actu elucescit, multo etiam magis heroica, & plane inusitata Prudentia ex eo deprehenditur. Optime enim sciebat Contrerius, quanta existimatione polleret apud Præsulem suum, noverat etiam Cardinalis ingenium, atque naturam, singulisque pensatis circumstantiis clare prænoscebat, quid impressionis in Præsule fecissent verba eo modo prolata, quæ alia occasione irrita fortasse evasissent, & quantus inde

(1) *Epist. 82. alias 19.*
(2) *Nov. Elench. pag. 195. Test. XVIII.*

inde fructus colligi posset. Præsensioni mirifice respondit effectus: Præsul enim æqui fecit monitum illud, eoque valde profecit. Jam vero rem arduam tanta sagacitate portendere, nec suo falli judicio, eximiæ plane Prudentiæ est argumentum. *Si Cardinalis* (ut *hypothice* ponit Animadversor) *insolitam orationis libertatem indignatus eum de loco descendere, linguamque cohibere jussisset*; tunc forte actum hunc imprudentiæ posset arguere; cogitare enim liceret, res, & circumstantias haud bene ponderatas a Contrerio fuisse. Sed in eo plane sita est sublimis, & inusitata Ven. Viri prudentia, qui omnia metiri scivit, certumque inde effectum prævidere. Quare Testes omnes supernaturalem, nec ullo modo ordinariam ex eo facto Prudentiam deducunt (1) = *Seppe parlare a persona così superiore, che non solo non esasperava, ma che obbligava ad essere maggiormente stimato; dal che si raccoglie ESSERE SOPRANATURALE LA SUA PRUDENZA* = & alibi (2) = *Mai si rese nojoso ad alcuno, anco nell'usare le riprensioni nel Pulpito, che parevono aspre, perche LA SUA PRUDENZA LE DETTAVA IL COME, ED IL QUANDO, acciocche avessero un buon effetto, come successe &c.* =

Animad. a num. 10 ad 14. inc

59 Neque objiciatur, Ven. Contrerium *eo rem adduxisse, ut qui aderant aut de Archiepiscopo male suspicari. aut eum audaciæ insimulare deberent*. Alibi enim fuse probavimus, Orationem Servi Dei iis, quibus concepta erat, verbis locum suspicioni dare non potuisse; siquidem comparatio inter bonum, & meliorem instituta erat, cunctisque Auditoribus de discrimine illo persuasum erat ita, ut nulla inde caperentur admiratione. Nota præterea erat Archiepiscopi pietas, & vitæ ratio; nota sanctitas, & prudentia Ven. Viri, qui ab omni detractione abhorrebat; notumque proinde, illius sermonem alio spectare non potuisse, nisi ad meliorem reddendum Antistitem, eumque leniter coercendum, si quid in familiæ regimine deficiebat; quod quum pateret omnibus, nullam inferebat animis novitatem. Iisdem plane de causis nemo Ven. Virum insimulare potuit audaciæ. Rem enim protulit crimine vacuam; protulit autem tanta sagacitate, cautione, ac lenitate, ut non dico adstantibus, sed Cardinali ipsi vehementer placuerit. Audacia ergo putari non poterat, quæ omnibus probata fuit; multo autem minus in Viro, qui zelo plenus *secundum scientiam*, spirituali omnium utilitati vacabat, quique superior cunctis vitæ sanctitate, maximisque virtutibus vulgo existimabatur. Omnes revera supernaturalem quamdam prudentiam ex eo facto agnoverunt; idque optimo jure; nam Præsulem publice monere, quin monitus offensioni sit, optatumque inde fructum referre, singulare quoddam, habet in se, & plane heroicum virtutis genus. Apposite ergo tribui Contrerio potest, quod de Pauli prudentia tradidit S. Joannes Chrysostomus (3) = *Hic vere admiratione digna est Pauli prudentia; quo pacto cum in res duas contrarias incideret, utramque cum omni accuratione perfecerit. Volebat enim & caste loqui, & mordere Auditorem: hæc autem ambo facere non licebat, sed alterum alteri officiebat. Si enim caste loquaris, non poteris perstringere Auditorem; sin velis vehementer incessere, rem, quam dicis, nude & clare proferre cogeris. Verum prudens illa, & sancta anima utrumque potuit cum accuratione facere* =.

60 Quum hactenus probatum sit, Orationem illam nec *Justitia* alienam fuisse, nec *Prudentia*, nec *Charitate*; quæ potiores erant oppositæ difficultates, paucis

(1) *Nov. El. Test' XVIII. pag. 195.*
(2) *Nov. El. Test. XXVI. pag. 195.*
(3) *Homil. 4. in Cap. 1. epist. ad Rom. pag. 455. Tom. 9. oper.*

paucis nos expediemus a reliquis, quæ ad priora redeunt. Ac primo *quærunt* Animadversiones, *cujusmodi esset crimen illud, quod in Præsule reprehendi posset. Si secretum, palam proferri non poterat: si vero publicum, non licebat Presbytero Antistitem suum corripere*. Respondemus ad ea, nullum omnino fuisse crimen, quod in Præsule reprehenderetur, nec publicum, nec privatum; nulliusque revera criminis a FERDINANDO reprehensum fuisse, sed tantummodo monitum, quid Præsuli restaret adhuc, ut ad virtutum præstantiam, quæ in Toletanorum Antistite effulsit, perveniret. Nihil, nihil dico, præter hanc *antithesim*, modestam, opportunam, optimo cuique Antistiti salutarem, omnisque proinde expertem offensionis, & contumeliæ, Oratio habuit, Itaque miror, quomodo in mentem alicui venire potuerit ex anteacta defensione deducere, *quod ipse idem Causæ Patronus plane fatetur, ignotum sibi esse, quid fuerit, quod tam acriter in eo reprehendi potuerit*. Numquam enim tale quid excidit. Diximus quidem, nullum fuisse crimen, quod in Præsule reprehenderetur, sicut revera nullius criminis insimulatus est: at nunquam diximus, Præsulem a Contrerio ACRITER fuisse reprehensum. Non enim invectus est Dei Famulus in crimen ullum, multoque minus *acriter* id gessit. Si quid autem attigit Ven. Dei Servus circa Archiepiscopalis familiæ regimen, proposito S. Idelphonsi exemplo (est enim incertum, an, & quomodo hanc monitionem fecerit) id patens erat, & publicum. Satis vero superius demonstravimus, exemplo freti S. Pauli, necnon auctoritatibus SS. Gregorii Magni, & Augustini, inferiori etiam quandoque licere, præsertim in defectu publico, superiorem publice corripere, quoties id fiat intra debitæ reverentiæ fines, quemadmodum præstitit Contrerius noster.

61 At si quod erat vitium, vel crimen, (instant adhuc Animadversiones) *cur non illud potius reprehendendum suscepit Contreras, quin ita rem ageret, ut omnes S. Idelphonsi virtutes exponens, cumque iis Archiepiscopi mores comparans pulcherrimo illo intercalari &c. sic in eum adverteret, quasi omni virtute penitus exutus esset*? Non poterat Ven. CONTRERIUS sic agere; non enim sibi proposuerat Præsulis vitia insectari, sed illum ad perfectionem adducere, S. Idelphonsi exemplo. Neque adhibita comparatio illum omni penitus virtute spoliabat. Non enim quia heroica virtute quis caret, communi caret; nec quia Præsul S. Idelphonsum virtute non æquiparabat, consequebatur idcirco, ut *omni virtute penitus exutus* videretur. Virtute præditus erat & Præsul, at non tali, ut S. Idelphonsum æquaret.

62 Non ergo est hæc *aperta detractio*, ut Animadversiones affirmare non dubitant §. *ultimo*: detrahere enim est, probitatis famam alicui illato aliquo crimine auferre. Quid ea comparatione Contrerius abstulit e Præsulis integritate? Non aliud profecto, nisi similitudinem, & æqualitatem cum S. Idelphonso; de quo quidem discrimine nemo erat, qui ambigeret. Quod autem Præsul S. Idelphonsum non exæquaret, læsa idcirco fuit ejus probitatis opinio? Si ego proponens probo alicui Viro Sancti cujusdam exemplum, ipsius considerationi relinquam, quantum inter unum, & alterum intersit discriminis, injuriam faciam, aut obtrectasse videar? Nequaquam profecto; aliud enim est vitium aliquod positivum inferre, aliud virtutis heroicitatem negare. Priori modo detrahitur, altero vero nulla fit injuria. Non ergo aperte, nec tacite detraxit Contrerius: non aperte, quia crimen protulit nullum; nec tacite, quia nullam male suspicandi de Archiepiscopo occasionem dedit, imo causa fuit ea Oratione, ut illius plurimum augeretur honos, & existimatio, quemadmodum superius probavimus.

Si

63 Si vero Archiepiſcopi nomen non læſit, imo clarius reddidit, fruſtra docere nos jubet Animadverſor, quod quantum Ven. Vir ab Archiepiſcopi exiſtimatione detraxit, tantum aliquando reſtituit. Non enim reſtituere potuit, quod nunquam detraxerat; ſed dedit utique Antiſtiti id, quo antea carebat, ſcilicet magnam exiſtimationis, & gloriæ acceſſionem. Quamobrem quomodocumque placet rem ipſe verſet, teſtimoniis utatur, quæ ſibi magis accommodata ſunt; ſtabile illud, ac firmum ſemper erit, actum hunc S. Dei non modo nil criminoſum, & culpabile continere, ſed inuſitatam quamdam, & plane heroicam præſeferre virtutem, quæ non ordinariis Prudentiæ regulis metiri debet, aut cæterorum hominum conſuetudini accommodari, ſed repeti tantum a Prudentia Spiritus, quæ divinam ſolummodo voluntatem, utilitatemque hominum reſpicit, vano omni ſepoſito reſpectu, & perſonarum acceptione; in quo quidem ſita eſt heroicitas, & agendi ratio communem hominum conſuetudinem longe prætergrediens. | Animad. a num. 1 ad 14. inc

64 Jam vero quum nihil præter factum prædictæ Concionis in tot Actis de vita, & moribus Venerab. Presbyteri quam diligentiſſime inſtitutis, in tanta Hiſtoricorum, qui ejus res geſtas poſteritati commendarunt multitudine, deprehendi, producique potuerit quod *a virtutis ſpecie abfuiſſe viſum ſit* rigidiſſimo Contradictori; factum autem hujuſmodi, ut vidimus, non modo virtuti non obſit, ſed heroicæ plane virtutis admirandum exemplum in ſe contineat, quid jam ſupereſt, PATER BEATISSIME, niſi ut a ſuprema illa veritatis Cathedra Venerabilem Presbyterum heroicis claruiſſe Virtutibus declares, ut ſuperaccedentibus ad humana, divinis Miraculorum teſtimoniis, Altarium honoribus condecoratus eluceſcat in domo Dei ad Sacerdotalis Ordinis decus, ad Hiſpalenſium præſidium, atque ſolamen, ad religioſiſſimi Metropolitanæ illius, ac Patriarchalis Eccleſiæ Capituli, quod Cauſſam agit, honorem, ad novum denique inclytæ Hiſpanorum nationis, imo totius Catholici Orbis ornamentum.

Quare &c.

Vincentius Alexander Conſtantius Advocatus.
Joſephus Nicolaus Placidi Advocatus
Thomas Riccardi.

REVISA

Aloyſius Gardellini Sub-Promotor Fidei.

DUS transibat, eoque tanta gentium multitudo confluebat, ut Turcarum primores illius custodiam capere non dubitarent, & circumfluentem hominum manum armis repellere, ne illa premeretur. Ita Testis XXVI. Proc. Apostolici Hispalen. super Fama Sanctitatis (1) = *All'uscire per le strade concorrevano a truppa li Mori per vederlo: però acciocchè la moltitudine non l'assollasse, era scortato dalli principali Turchi, che allontanavano la gente a bastonate, dicendo,, appartatevi, fate largo, non vedete che il Servo di Dio vuol passare.* = Neque id mirum videri debet, si ad Miracula & signa, quæ illo intercedente Deus O. M. passim operabatur, adiicias animum. Quare universi cum Christiani, tum infideles, eidem ambulanti per vias deferebant ægrotos, quos ipse curaret, adducebantque filios, ut iis benediceret, vel saltem tangeret manu (2). Hæc autem tanta, tamque diffusa, atque universalis, quam sibi conciliavit in una Civitate opinio, ut Catholicis *Sanctus*, Infidelibus vero *numen*, aut simillimus numini videretur, quo alio ex fonte derivare potuit, nisi ab actibus maximarum virtutum Tetuani elicitis, aut quomodo hæc tanta Sanctitatis fama, confirmata specificis, clarissimisque virtutum operibus, quæ ex Testium Hispalensium dictis supra indicavimus, ullum vel levi dubitationi locum relinquere *Viro prudenti, & de re gravi judicaturo* de controversa illa epoche Tetuani poterit; præsertim quum reliquus, & præcedens, & subsequens vitæ cursus heroico virtutum habitu adeo clarescat? ANIMAD. Num. 6.

34 Hæc omnia, atque alia in anteactis Causæ propositionibus accurate fideliterque relata, quæ nunc brevitati consulentes, vel leviter excurrimus, vel prætermittimus, patent ex Testibus Inquisitionum Hispalensium tum Apostolicarum in specie, & super fama sanctitatis, tum etiam Fiscalis Informativæ, ex Testibus nempe, quos Reverendissimus Fidei Promotor *legittimos* esse fatetur (3). Illorum testimonia, ut vidimus, non modo probant *in genere* virtutes, sed *specificos* etiam, imo quotidianos referunt virtutum actus, per FERDINANDUM elicitos eo tempore, quo obses Tetuani detentus est. Hoc autem quum ita sit, ecquis jam Animadversionibus aures præbeat, dum *de Testibus Hispalensibus* fidenter affirmant, *hoc unum omnino ab illis dici, Venerabilem Contreram obsidem fuisse apud Barbaros, præterea nihil: sciri ubi fuerit, qua etiam de causa fuerit; quid tamen eum quinquennium fecerit, quibus se exercuerit virtutum actibus, num vero assidue, num etiam prorsus ab omni labe; hæc omnia ignorari, specificos Virtutum actus frustra quæri?* Itaque concedimus disertissimo Contradictori, quod *eo spectat subsidiaria probatio, ut loco Testium de visu, testes afferri possint de auditu; in reliquis nullum esse discrimen, quodque probatio sive directa sive subsidiaria sit, utraque in suo genere perfecta esse debet*; sed & ipse vicissim det, concedatque nobis necesse est, quod quemadmodum in casu *directæ probationis*, eadem hauritur ex *CONJUNCTIONE* Testium *de auditu a videntibus* Processus Apostolici *in specie* cum *Testibus oculatis* aliorum Processuum (4), licet neutri *per se soli* eamdem directam probationem possent conficere; ita ubi agitur *de subsidiaria probatione*, hujus in suo genere *perfectio*, & *plenitudo* desumenda est, non jam ex testibus unius, aut alterius

(1) *Nov. Elench, pag.184.*
(2) *Ibid. Test.I. pag.185., & Test.XX. pag.186.*
(3) *Novis. Animad. pag.2. §.5. in princ*
(4) Ita namque constituit Benedictus PP. XIV. sub num.1. alterius Generalis decreti editi die 17. Julii 1754., quod extat in Appendic. ad Tom.IV. Bullarii ejusdem Pontificis.